



1785.

19. Pöhlins, Antonius, Fridericus: De causis et
protestationibus successione in res uterque
maternas exhibitibus.
20. Puchmannus, Fr. Lud. Sm., fac. jur. pro cancellariis:
(De querela inofficiorum testamenti fratibus uterisque
hand concedenda). Programmata, quo sollemnia inaugura-
toria Christiani Augusti Guentheri indicit.
21. Puchmannus, Fr. Lud. Sm., fac. jur. pro cancella-
riis: (Miscellaneorum ad jus pertinentium
specimen II). Programmata, quo sollemnia inaugura-
toria Julii Gottlob Gutrenor. . . indicit.
22. Puchmannus, Fr. Lud. Sm.; fac. jur. pro cancellariis:
(Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen I)
Programmata, quo sollemnia inaugura-
toria Benjamenii
Corti Harrii Heydenreichi . . . indicit.
23. Puchmannus, Fr. Lud. Sm., fac. jur. pro
cancellariis: (An et quatenus jurissimum, qui pa-
ret, a poena excuset eam de viuat?).

1785.

24. Peltmann, Jos. Lud. Em, Jac. Jos. proreuerel.
Lind: (De numero decretorum prudentia legis-
latoria minucendo seu de remediis nouellis
contra frequentiam bonorum, cessionis et credi-
torum concursus). Programma, quo sollemniter
inaugurata Christiani Goltob Marckii in Gieß
25. Peltmann, Jos. Lud. Em: De lubico iudicio. 32
rurs
26. Ran, Christianus: "Elector Saxoniae juris
Saxonici defensor.
27. Roemer, Carolus Henricus, a: De juribus
majestatis eorumque spectibus. 33
28. Roemig, Carolus Gualt: Commentatio ad titulum
II priores leges Anglorum et Saxonum.
29. Rummel, Baldus-Fridr: De comparatione legum
Romanarum cum Graecorum institutis. 34

1785

30. Seeger, Joh. Theophilus: De comitibus Palatinis
Saxoniae
31. Wenzel, Fredericus Aug. Guilielmus: De concessione
insignium in imperio Romano-Germanico. Pro-
gramma, quo ad accedendas orationes in memo-
riam Henrici Ridelii et Sapperti invitatur.
32. Wenzel, Fredericus Augustus Guilielmus, fac. phil.
pro cancellarius: De concessione insignium in
imperio Romano-Germanico. II. Programma, quo
philosophiae candidatus diem petitionis in-
dicat.
33. Winckler, Carl Gottfr.; de, fac. jur. pro cancellarius:
Adnotatio IV, V et VI ex adversariis juris ju-
diciarii. Programma, quo solenniter inaugur. Caroli
Frederici Conradi indicat.
34. Winckler, Carl Gottfr.; de, fac. jur. pro cancellarius:
Problemata juridica: De abolenda restitutione
in integrum ex causa aetatis. Programma, quo

solemnis inauguratio Caroli Gottlobi Kaessigii
in die 1^o.

35 Vinckler, Carol. Godsp. de: Adversaria juris
judicialii in primis quoad concursum cred.
Forum



[Faint, illegible handwriting on aged paper]

[Vertical handwritten text on the right edge of the page]



21

1785/29

DE

COMPARATIONE

LEGVM ROMANARVM CVM GRAECORVM

INSTITVTIS

COMMENTATIO II.

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

A. D. XXV. MENS. IVNII MDCCCLXXXV.

PVBLCICE DEFENDENT

M. BALTHAS. FRIDER. RVMPELL

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

ET


GOTTHELF CHRISTIAN. GRENZ

LEGVM CVL TOR.

DRESDENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBAEERORVM.



P. 7



IN
COMPLIMENTUM
LIBRARIUM
MUSEI
HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS
LIPSIENSIS

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT
ZVHALLE

AMPLISSIMO
LIBRARIUM
MUSEI
HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS
LIPSIENSIS
CIVITATIS
LIPSIENSIS

LIPSIENSIS
MUSEI
HISTORICO-NATURALIS





PROOEMIUM.

Facturusne essem operae pretium, si in legibus Romanis cum Graecorum institutis comparandis pergerem, saepe mecum agitari, et dubius diu, pendensque animi haesi. Viros enim doctos non defuturos esse credebam, qui aut huius generis Commentationes superbe in vniuersum fastidiosaeque contemnerent, aut hanc ipsam, quam selegi, rem ita iam expositam a Viris et doctrina et ingenio me longe superioribus contenderent, vt non esset, quare eadem a me putide ambitiosaeque tractanda fulciperetur. Quae virorum doctorum iudicia cum mente et cogitatione veluti praeciperem, diligentiusque mecum perenderem; fateor ingenuae, commouisse me illa quidem, minime autem ab instituto continuando dimouisse meo. Memoria enim illius temporis, quo priorem huius opusculi partem in lucem sum ausus adspectumque eruditorum proferre, reuocata, tot expressa indulgentiae Virorum doctorum, mihi quae semper suspiciendorum vestigia cum deprehenderem, quibus quae gratiae mentis significatione responderem, nullo adhuc modo potui excogitare; id vix habebat eam, vt consilium meum iuuaret, et valde in eo tenendo



me mirificeque confirmaret. In quo tamen non tam magnifice sentio, vt, cum mihi ipsi in priori Commentatione non semper et vbiq̃ue satisfecerim, doctis in omnibus satisfecisse me credam. Aetatis id est doctrinaeque magis confirmatae. Et impudens sum et vanus, si tale quid, non dicam, in oratione ponam, sed in suspitione tantum cuiusquam relinqui velim. Ingenuè igitur et libere fateor, in priori libello scribendo mihi, vt sit, accidisse hoc, vt non solum hic illic quaedam necessaria adiungenda praetermitterem, sed etiam interdum leuiora, neque de consilio meo et instituto necessaria admitterem. Verum quis est, quin hic subinde incuria aliqua, quae nobis saepe obrepit nec opinantibus, peccet, aut qui omnibus satisfacere possit? Id quod hanc ob causam hic commemoro, vt eo facilius nos veniam peccatorum forte etiam in hac commentatione commissorum consequamur a doctis hominibus, cum eius dignitatem ex studio meo magis praeclara conandi, quam ex viribus aestiment, et quod minus commode sibi in ea, accurateque videatur disputatum, id et ipsi rei putent, et aetati meae condonandum. Haec igitur commentatio mea cum neque ob orationis elegantiam et cultum, neque rerum ipsarum dignitatem, praestantiamque sit commendabilis, non ita in lucem adspectumque prodit, vt elegantibus harum rerum quasi spectatoribus iactare se, ostentareque velit, aut eorum amorem se sibi esse conciliaturam confidat; sed vt spectandam se, perpoliendamque limatulis hominum doctorum iudiciis permittat, freta scilicet dulcissima illa certissimaque spe, fore vt spectatione illa et censura eruditorum elegantior perfectiorque reddatur.

His praemissis, quo minus statim ad ipsam rei tractationem progrediar, hoc vnum me impedit. Nimirum, cum materia, in qua explicanda vires meas qualescunq̃ue experiri animus est, e Iuriscientia sit petita: merito verendum habeo, ne eam magis in Auditorio Iureconsultorum proponendam, quam suggestui Philosophico accommodatam nonnulli forte sint, qui putent. Sed horum hominum refutandorum duplex erit modus: alter ab arcto illo nexu ducitur, quo Iurisprudencia et sapientiae disciplina veluti natura eo artificio coniunctae tenentur, vt nemo in illa percipienda feliciter
versari

versari possit, nisi ingenium ad eam contulerit Philosophiae et litterarum humaniorum cultu ornatum atque bene instructum: alter ex historia petitur, quae celeberrimos Iureconsultos sapientiae studium non, ut fit, tantum de nomine cognoscendum aut a limine salutandum, sed tanta cura et diligentia tractandum sibi putasse tradidit, ut, nisi tantorum Virorum memoriam ad posteritatem propagare, immortalitatisque famae commendare studeremus, non solum ipsis iniuriam faceremus, sed etiam hominibus Iuris studiis hodie sese consecrantibus male consuleremus, quibus de sapientissimorum Virorum sententia talia exempla quotidie sunt legenda, ut ad eundem Philosophiae amorem concipiendum concitentur, animosque suos peruersarum opiniorum veluti veneno nondum infectos, cautione aliqua, et quodam quasi amuleto praemuniant, ne aliorum, qui in magna Philosophiae omnisque doctrinae elegantioris ignorantia, tamen sibi esse aliquid, et multo plus ceteris videre videntur, auctoritate, ratiuncularumque quasi venesciis corrumpi se, auferrique patiantur. Vera est et eruditis satis nota vox Platonis, omnes litteras et disciplinas, quae ad humanitatem pertinent, quadam quasi cognatione inter se contineri, mirumque inter eas consensum et concentum reperiri, communionemque et colligationem esse tantam, ut, cum non solum vna alterius cognitionem adiuuet, sed ne recte quidem percipi sine aliarum ope possit, nemini quacunque in arte, quae ad orbem eruditionis pertinere censetur, peregrinum esse liceat, quin idem saepe in hac ipsa scientia, in qua velit habitare, dubius ancepsque haereat. Omni igitur iure stultissime agere, et cum suis ipsorum rationibus, tum bonis litteris obesse censendi sunt ii, qui, ceteris doctrinis neglectis non, nisi vnam illam, vnde panem lucrari se posse sperant, quodammodo cognoscendam sibi, discendamque putant. Haec enim discendi ratio magis opifices fellularios, aut artem aliquam sordidam exercentes, quam bonarum litterarum cultores decet. In hoc concedendo faciles, ni fallor, multos habebimus ex lectoribus nostris. Quare rem iis haud dubie peringratam susciperemus, si verissimae illi Platonis sententiae, quae tanta luce radiat, ut nemo de ea dubitet sanus, multas demonstrationes adiungeremus, iisque aures illorum obtundere et enecare




enecare vellemus. Quoniam vero, illa doctrinarum varietas et humaniorum disciplinarum societas quam non utilis modo sed necessaria etiam sit ei, qui magnificentum Iurisconsulti nomen doctrinae variae vi sustinere velit, hic imprimis probare constituimus; operae pretium me esse facturum putavi, si, quam admirabili concentu cum Iuriscientia omnis doctrina liberalior, imprimis vero Sapientiae studium, quod Philosophia dicitur, conspiret, paucis ostenderem. Iam Veteres se id, quod asserimus, non ignorasse, nos eo docuerunt, quod in utraque disciplina definienda vnam idemque ^{a)} genus posuere. Hic vero statim nobis occurrunt, qui antiquam illam Iurisprudentiae definitionem, quae in Pandectis occurrit, nostris temporibus admitti non posse clamant, adeoque contendunt, veteres Iureconsultos, imprimisque Ulpianum, perpetua illa cum Philosophis aemulatione incensos, Iurisprudentiam Philosophiae definitione eo consilio exornasse, ut, ornamento Sapientiae detracto, arti suae decus quaererent. Sed procul abist talis suspicio, magnis illis Iuris Antiflitibus indignissima! Omnis haec controverfia tantum, ni fallor, e diversis notionibus orta est, quas homines de Iurisperitis pro lubitu sibi fingere solent. Si enim eorum officium tam angustis finibus circumscribere velis, ut eum perfectum omnibusque numeris absolutum Iurisperitum existimes, qui de stiliicidiis, rivis, glande legenda, aliisque eiusmodi rebus exiguis et contentis scribere aut respondere possit, quarum taedium Philosophum diuiniorebus aduetum statim capere solet; equidem talem hominem omni labore in Philosophiae omniumque litterarum, quae magnifico illo Humanitatis nomine nobilitatae celebrantur, studia impendendo facile superfedere posse, negare non ausim. Tum vero caueas, ne tam Iureconsulti, quam potius rauci alicuius de foro causidici imaginem expressisse videaris, qui studiorum rationem non nisi *περος τα ἀλφρα* referre solet, adeo, ut, quod hic facere non videatur, id omne negligendum sibi, vixque primis labiis degustandum delibandumque existimet. Alias adhuc notas afferas necesse est, si notionem Iurisperiti ita perficere velis, nihil ut

^{a)} §. I. Instit. de iust. et iur. l. 10. §. 1. τ. h. f.

ad absolutionem desit. Reiecta igitur priori Iurisperiti definitione sequamur potius ^{b)} Ciceronem, elegantissimum in hac re iudicem, qui Iurisperiti mensuram explere posse eum censuit, qui legum et consuetudinum, quibus homines in ciuitate uterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cauendum, et denique ad iudicandum peritus esset. Vestram fidem! Lectores! Cui Vestram adhuc parua aut exigua videri poterit Viri eruditio, qui omnium rerum, quae in humanam controuersiam cadere possunt, iura tenet, et rationem eas diiudicandi habet perceptam? Cum autem ^{c)} omnis Iuris quaestio aut verborum proprietate, aut aequi disputatione, aut voluntatis coniectura contineatur, quorum pars ad rationalem, pars ad moralem Philosophiam redundat: luculenter inde apparet, neminem, nisi antea Philosophiae studio cum fructu operam dederit, in Iurisscientia multum proficere posse, sed crudis suis studiis in forum propulsis Reipublicae magis obesse quam prodesse. Nemo igitur veri Iureconsulti gloriae cupidus vquam credere poterit, se accurata Iuris naturalis cognitione non opus habere, quo, ut aedes fundamento suo, leges humanas niti tamen inter omnes constat. Quid? quod is summae turpitudinis supinaeque negligentiae suspicionem omnibus statim moueret, qui Iurisperiti dici haberique vellet, et tamen Psychologiae studium ita negligeret, ut dotes illas praestantissimas, quibus homo naturae, benignissimae parentis, liberalitate ornatus omnibus animalibus excellit, ignoraret, adeoque velut in ipsis aedibus suis peregrinari videretur. Quum enim, quod quis ignorat, eo vti recte nequeat; quomodo is, qui, quae sit mentis nostrae vis et natura, nescit, ea ita vti poterit, ut consilio auctoris nostri satisfaciatur, qui in ea effingenda ornandaque, quantum sua potentia, sapientia bonitasque possit efficere, illustrissimo documento ostendit. Quis denique Iureconsultorum Logices studium sibi negligendum poterit arbitrari, cuius in Iurisprudentiae studio tanta est necessitas, ut, qui eius initia fidei pectore non imberit, neque notiones rerum in Iure obuiarum distinctas et plenas afferre,

^{b)} *Cic. L. I. de Orat. c. 48.*

^{c)} *Quint. Inst. Orat. XII. 2.*



afferre, neque eas verbis exprimere atque declarare, neque res quasi
 membratim discernere et in suas partes discernere, neque generi,
 quae subiectae sint formae, sine vllius praetermissione enarrare, nec
 denique falsa et vera acute perspicere subtiliterque explicare possit.
 Et quid dicam de Philosophia morali, quae cum Iurisscientia tam
 arcto copulata est vinculo, vt eosdem habeat fontes, qui legibus et
 iure ciuili continentur, omnique propterea iure germana Iurispru-
 dentiae soror, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, inuentrix
 legum et magistra morum disciplinaeque nominetur. Est sane igitur
 in Iurisprudentiae studio Philosophiae cum rationalis tum mo-
 ralis tanta utilitas, tanta necessitas, vt, qui huius cognitione non
 probe instructus fuerit, haud facile nomen magni Iureconsulti obti-
 nere tuerique, nec Reipublicae multum commodi possit praeflare.
 In admittenda vero illa Iurisprudentiae definitione ab Vlpiano pro-
 nunciata nobis ab eo errore cauendum est, ne latius aperiamus Phi-
 losophiae et Iurisscientiae fines, quam et illarum dignitas, et vsus
 omnis aevi patitur. Nam, vt veteres, cum Philosophiam rerum
 diuinarum et humanarum scientia definirent, non vniuersas Phi-
 sophiae subiecerunt, sed, quae maxime vel ad felicitatem hominum
 vniuersam valeret, vel propter magnitudinem suam obscuritatem-
 ue, dignae essent hominis liberalis cognitione: sic Vlpianus, cum
 hac Philosophiae definitione Iurisprudentiam exornandam putaret,
 haud dubie eam non omnibus rebus, et diuinis et humanis cogno-
 scendis, sed iis metitus est, quarum ex scientia homines tantos fru-
 ctus percipere possent, vt iis et publica et priuata salus quam optime
 conseruaretur, conseruataque in dies magis magisque amplificaretur.
 Omnibus igitur iuris naturalis et diuini, publici et priuati stu-
 diis sese consecraturis omni opera ad id erit incumbendum, vt in-
 primis leges earumque finem et rationes recte interpretari, et sem-
 per ac vbique ad usum hominum adiungere, et transferrere discant.
 Finis autem legum, quae iure comprehenduntur, ni fallor, erit hic,
 vt rectum et honestum studiosissime quisque colat, ab eo autem,
 quod vel naturae, vel legi, vel bonis moribus repugnat, abstineat;
 adeoque recti cultores, qui suas actiones ad legum normam com-
 ponunt et dirigunt, Iustitiae praesidio et custodia defendantur, im-
 mori-

morigeri autem homines, immodesti, oblinati, contumaces, frena mordentes, iugum iactantes, officii sui negligentis, atque legum praecepta in honestis artibus eludenda male ingeniosi, omnibus antea admonitionibus amantissimis, omnibus cohortationibus grauissimis, omnibus corrigendi artibus lenissimis frustra adhibitis, tandem disciplinae seueritate in gyrum cogantur, et pro grauitate delictorum acerbitate poenarum coerceantur. Hic vnum et item alterum ex iis audire mihi videor, quorum mentibus peruersa haec insedit opinio, vt credant, leges humanas cum libertate nostra fronte aduersa pugnare, et hoc demum esse libertate frui, pro libidine animi pessima quaeque cupientis omnia agere, et, perruptis quasi legum saluberrimarum vinculis, sequi non quo ratio sana, sed coecus mentis impetus cupiditatum veluti vinculis constrictae soleat vocare. Sed hanc opinionem iam multis argumentis refutare, et falsitatis vanitatisque convincere, nec iuuat, nec vacat. Legant, qui tam contemtim abiecteque de legibus humanis sentiunt, legant, si volupe est, Paradoxon quintum Ciceronis, quod inscribitur: *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δούλος.* In hoc disertissimus ille Orator et Philosophus late copioseque ostendit; cum solus sapiens liber sit, sapienter vero non agat, nisi qui ex legibus agat, auream demum hanc libertatem esse existimandam, ex legibus omnia agere.

Quia vero ex eo, quod de nexu illo, quo Iurisscientia et Philosophia natura colligatae tenentur, diximus, lectores nostri satis superque, vt opinor, intelligent, in tanta vtriusque disciplinae necessitudine non ineptum aut ridiculum videri posse, si quis materiam e Iure petitam in Cathedra Philosophica exponere et defendere velit; iam aliud adhuc argumentum rei nostrae, opinor, perquam accommodatum, nec priori minus stabile asseramus, quod ab exemplis eorum Iureconsultorum et Graecorum et Romanorum arcessitur, quos Philosophos publice sese fuisse professos constat. Cum vero Graeci litteras ab Oriente et Aegyptiis acceptas tanto cum successu coluerint, vt Graecia olim omnis eruditionis sedes putaretur, vnde succedente primum tempore litterarum splendor in orbem imperii Romani est propagatus: Graecis iniuriam faceremus, nisi



nisi hic Duumuiros illos, Solonem et Lycurgum primo loco commemorarem, qui in illis septem Graeciae sapientibus, tot litteris linguisque celebratis haud vltimum locum occupasse mihi videntur. Quamquam enim fortasse non in eorum sapientissimorum Graecorum censum sunt referendi, a quibus omnis Philosophia et Mathesis cum ceteris artibus inuentae et ita excultae sunt, vt ad summam perfectionem a tenuissimis initiis perductae videantur: nemo tamen negare poterit, eos haud minus bene ac praeclare de genere humano meruisse, cum salutis vniuersae cupidi, Sapientiam diuinitus ipsis concessam ad feroces animos subigendos, ad ciuitates regendas, et ad leges iuste, aequae ac prudenter condendas, quae a iure naturae ductae temporibus, locis, ciuiumque ingeniiis essent accommodatae, conferendam putarent. Eadem via ac ratione hominum felicitati prospicere studuerunt Zaleucus, Charondas, multique alii Rheginorum, Locrensiū et Thuriōrum legumlatōres, qui in tacito illo Pythagorae secessu sese antea praepararunt, quam leges et iura darent, quibus apud posteros immortalē gloriam sunt consecuti. Fama enim horum, vt et aliorum magnorum Virorum, quorum Graecia felicissimo fato permagnum prouentum tulit, huius terrae finibus adeo non coerceri potuit, vt etiam ad exteras gentes propagaretur. Ipsos enim adeo Romanos, qui, antiquissimis temporibus in militiae studio modo occupati, consuetudinem cum mansuetioribus Musis spreuerant, cupido incescit, Eloquentiam, Philosophiam, atque alias a Graecis excultas artes sibi proprias reddendi. Id quod imprimis factum est, postquam Graeciam armorum vi sibi subiecerant. Quo tempore victores non puduit, ingenium suum poliendum victis tradere. Quam vero felices successus Romani in litteris Graecis tractandis iisque expoliendis sint experti, praestantissima illorum scripta, quae adhuc manibus nostris versamus, et tanquam splendidissima ingeniorum Romanorum monimenta admiramur, luculentissime docent. Quodsi vel Ciceronis scripta, aliorumque, qui illius tempore vixerunt, quo eruditio apud Romanos summum fastigium attigerat, legerimus; sine fatendum nobis erit, illos Viros magnae eruditionis laude florentes in omnibus pene doctrinae liberalis capitibus, imprimis vero


in

in Philosophiae studio excolendo facem nobis praetulisse, multasque res in hac temporum nostrorum luce esse, quae recentioribus in scriptis tantum innovato habitu ornatae prodeant, in quibus vero tradendis tum Graeci tum Romani iam antea in operibus suis multo copiosius versati sint, quam nostro tempore fieri solet. Inter tot vero tantosque, quos Latium tulit, variae et diffusae eruditionis Viros invenimus imprimis Iureconsultos Romanos non neglexisse, cum Iurisprudentiae studio Philosophiam, principem illam humanarum disciplinarum, arctissimo vinculo coniungere, probe intelligentes, eam non solum ad ingenium defaecandum iudiciumque acuendum, sed etiam ad verum dubiarum legum sensum eruendum, malitiosasque machinationes Rabularum eludendas frangendasque permultum facere. Maximo igitur Sapientiae et audiendae et discendae amore incensi, ad eorum Philosophorum scholas sese contulerunt, qui tunc temporis praestantissimi et erant et habebantur, iisque tam assidui haeserunt, ut ipsos adeo doctores suos hinc inde antecellerent. Inter omnes vero Philosophorum Sectas, quarum memoria ad nostra usque tempora pervenit, nostris iuris auctoribus Stoica maxime placuit. Id quod rediuviae Iurisprudentiae parens, Iacobus Cuiacius ^{d)} aliique satis superque docuerunt. Non est autem, quare quis obiiciat, si exploratum habeamus, veteres Romae Iureconsultos ad Stoicorum auctoritatem sese contulisse, quare multi fuerint, ac forte etiam nunc sint, qui Aristotelicam et Platonicam Philosophiam Iurisprudentiae aptiorem existiment, et quamobrem multi Stoicam doctrinam cum Iuriscientia adeo non congruere putarint, ut etiam leges ea magis eueri, quam corroborari censerent. Non solum enim historia Romana, grauisima huius rei testis, nos docet, celeberrimos Romae Iureconsultos e Zenonis Porticu proditisse, sed etiam ex plerorumque veterum Iureconsultorum responsis, quae cum Stoicae familiae placitis egregie conspirant, facile intelligitur, nullam magis, quam Stoicam disciplinam Iureconsultorum studiis fuisse accommodatam. Nonnulla exempla

B 2

ex

d) Obs. L. 26. c. 40. *Ed. Merill.* Obs. L. I. c. 8 sqq. *M. Aur. Galvan.* L. de usufr. c. 1. §. 1.



ex Romana historia petita, mihi, opportuno hic, ut opinor, loco occurrunt, quibus Romanos Iurisperitos imprimis Stoicam disciplinam in deliciis habuisse, possumus illustrare. Prodeat igitur primo ^e) Panaetius, princeps ille, iudice Cicerone, Stoicorum, quem primum Philosophiam Romae publice docuisse, omnes consentiunt. Tanta ad eius scholam iuuenum, litterarum diuinarum humanarumque studia aemulantium, multitudo confluit, ut adeo C. Laelium, Sc. Africanum, Rutilium Rufum, Ael. Tuberonem, principes tum iuuentutis, postea illustres imperatores, magnos Iureconsultos, auditores nancisceretur. Ab hoc vero inde tempore Stoicae Philosophiae tanta auctoritas apud Romanos accessit, ut, qui inter ciues suos ingenij et doctrinae splendore cupiebant eminere, non solum stoicum sibi quaerere praecceptorem, sed peregrinorum etiam eiusdem Sectae Philosophorum videndorum atque audiendorum causa, itinera in exteras terras suscipere, unde reduces patriam suam nouis doctrinae sapientiaeque copiis apud exteros collectis adiuuarent atque ornarent. Traditum est, hac de causa ^f) Pompeium Magnum, ut Posidonium, Panaetii discipulum, sapientiae professione clarum videret, Rhodum fuisse profectum, vbi Philosophi domum intraturus ei tantum honorem habendum putauit, ut fores percuti de more a lictore vetaret, et fasces lictorios ianuae litterarum submitteret is, cui se Oriens Occidensque submiterat. ^g) Cato Uticensis vero, cum audiisset, Athenodorum, Virum in Stoica disciplina praeclare exercitatum apud Pergamum degere, eumque omnium regum et imperatorum, amicitiam et consuetudinem suam expetentium, pollicitationibus pertinacissime restitisse: tanta cupiditate, hunc Philosophum secum habendi, fertur flagrasse, ut, cum facile praeuideret, neque nuntios neque litteras apud illum multum esse valituras, ipse iter in Asiam conferret, vbi Philosophum precibus tandem eo perduxit, ut domicilium suum cum castris Romanis

com-

^e) Cic. I. IV. Acad. Quaest. c. 37. L. II. de off. c. 14.

^f) Plin. Hist. nat. l. 7. c. 30.

^g) Plus. in Cat. minor.

commutaret, quae, si Plutarchum audiamus, Cato, Athenodoro comite, tam laetus ouansque intrauit, vt postea ipse ingenue fate-
retur, se, familiaritate cum illo Philosopho contracta, longe cla-
riorem victoriam adeptum sibi videri, quam Lucullus et Pompeius,
tot tantorumque regum et gentium victores, vnquam reportassent,
aut essent consecuturi. Sed ex quo quasi diuerticulo oratio egressa
est, in id redeat. Erasmus in eo, vt nonnullos ex iis Iureconsultis
Romanis commemorarem, qui Stoicam sectam amplexi, libera
adhuc Republica vixerunt. Addamus iis h) Sext. Pompeium, i) L.
Crassum Oratorem, k) Q. M. Scaeuolam Augurem, l) Lucil. Bal-
bum, m) Seruit. Sulpitium, A. Cascellium et Trebat. Testam, Vi-
ros, quorum memoria ad posteritatem omni iure propaganda im-
mortalitatisque famae commendanda videtur. Multi adhuc alii iis-
dem temporibus vixerunt, memoratu quidem aequae ac illi digni;
quos vero omnes hic recensere cum longius esset, quam pro insti-
tuti nostri breuitate, ingredimur nunc eorum temporum historiam,
quibus summa rerum ad vnum, Senatus Populique Romani con-
sensu venit. Ibi multi adeo imperatores nobis occurrunt, qui men-
tem ad litteras et inprimis ad Stoicam Philosophiam appulisse di-
cuntur. In quibus maxime commemorandi sunt Augustus, cuius
mitem imperium nonnisi Athenodori institutioni acceptum referen-
dum Romani putarunt: Nero, qui, quamdiu Seneca rectore vsus
est, optimus fuisse dicitur: Marcus Antoninus, qui ob Stoicae
Philosophiae studium a Iustiniano Philosophissimi cognomine in-
signitus, quam semper in ore habuisse fertur, Platonis sententiam:
*tum demum beatas fore Respublicas, cum aut Philosophi regnarent,
aut reges philosopharentur*, suo exemplo confirmauit: vt alios ta-
B 3 ceam,

h) Cic. Brut. c. 47. Or. III, 21. Off. I, 6. Or. I, 15. Phil. XII, 1.
L. 2. §. 40. π. de orig. Iur. Gell. N. A. I, 22.

i) Cic. Brut. c. 37 sqq.

k) Athen. Deipnos. L. VI. c. 21. Val. Max. VIII. 12. Cic. Balb. 20.

l) Cic. L. I. c. 6. de nat. Deor.

m) Cic. Brut. c. 41.

ceam, quos haud minus Zenonis Philosophiae dedito fuisse scimus. Ex Iureconsultorum autem numero, qui e schola Stoicorum profecti, sub imperatoribus vixerunt, huc imprimis referendi videntur duo illa pacis decora, et amplissimae dignitatis Viri, Antistius Labeo et Ateius Capito, doctrina pares, ingenio vero multum dissimiles. Hinc duae Iureconsultorum familiae sunt ortae. A Capitone enim descendunt Massurius Sabinus et C. Cassius Longinus, inde Sabiniani et Cassiani; Labeonis vero sequaces fuerunt Nerva Proculus et Pegasus, vnde Proculeiani et Pegasiani. Inter hos tam perpetuas contentiones fuisse traditur, ut veritatem in multis, quam sectam deserere maluerint. Quamquam vero Cassiani non semper tam constanter, ut Proculeiani, a partibus Stoicorum steterunt; tamen, cum multa a Panactio tradita retinerent, ex Stoicorum classe non penitus proferendi videntur. Sequentibus temporibus Stoicis adhaeserunt Flavius Arrianus, Antonini Pii praeceptor, Aelius Marcianus, Tit. Gaius, Sext. Pomponius et Papinianus. De Ulpiano, seculi sui decore, et Iureconsultorum Coryphaeo, cum in eius fragmentis per multa eaque illustra Stoicae disciplinae vestigia superint, praestat tacere, quam pauca loqui. Tantum vero abest, ut puteimus, Iuris nostri auctores semper et ubique Stoica praecepta fuisse secutos; ut etiam contendamus, eos saepe iudicia sua longe a magistrorum suorum opinionibus seunxisse, praesertim cum hi vel paullo morosius aut iniquius praecepissent, vel inutilia nugaeque ad Cleantis lucernam somniasent. Nam, ut quaedam modo huius rei exempla afferamus, Stoici docebant, a sapiente debere rempublicam administrari, ipsi vero in otio versari solebant. At Iureconsulti veteres reapte ostenderunt, ad tuendos conseruandosque homines se natos esse, ideoque pacis bellicae artes tractauerunt, et ierunt in forum, ut amicis, ciuibus, propinquis ingenio et voce prodesse sua. Quid? quod multi ex Stoicis solebant Sophistas, quorum magnum proventum imprimis aetas, qua Socrates vixit, tulisse dicitur, imitari. Hi vana magnae doctrinae opinione de se capti, factusque timore tardidi, sibi ipsis aliisque huius vanitatis fraude deceptis persuadebant, se, non modo de re, de quaeunq; quis vellet, in vtramque partem ex tempore disputare, sed dicendo etiam efficere posse, ut

res

res iusta iniusta, iniusta autem iusta videretur. Horum hominum vero oratio vt in veris et vtilibus tradendis nimis muta, ita in nugulis venditandis tam loquax fuit, vt Plato eorum vanitatem ironice *παρηγορητικὴν τέχνην*, hos vero ipsos vaniloquos et nugiuendulos homines eleganter *ἀσπαλεύτας* vocaret, quoniam, vt pisatores hamo pisces, sic hi verborum illecebris et veluti decipulis incautos decipere, nummisque emungere solebant. Hos Sophistas multi ex Stoicis ita sunt imitati, vt rem quamque disputando huc illuc traherent, et imperitos minimeque acutos homines captiosis conclusionum laqueis ita implicarent irretirentque, vt, quomodo se expedirent, non reperirent: quod vbi efficere potuerant, summam se ingenii acuminisque laudem consecutos putabant. Quae res cum fecisset, vt hoc hominum genus apud peritos rerum aestimatorum magnum sibi contemptum contraheret, veteres Iureconsulti, vt erant perspicuitatis studiosissimi, ita has argutias, haec Sophismata in scriptis suis omni modo euitare studuerunt. Multis adhuc aliis exemplis docere constitueramus, quatenus celeberrimi Romae Iureconsulti Stoicae Philosophiae addicti, praeceptores suos aut sequendos aut deferendos putarint. Attamen quoniam verendum est, ne, si huius rei disputatiunculam longius traxerimus, in vitium ingratae redundantiae, luxuriaeque incidisse videamur, memores illius dicti, *βιβλὸν μέγα κλονὶ μέγα*, nonnisi pauca addamus. Me vero satis felicem putabo si hoc monumento condito, memoriae et immortalitati tot tantorumque Virorum, qui Philosophiae et Iurisprudentiae studia tam arte coniungenda putarunt, quodammodo prospexero. Et profecto omnes, qui Iuuentuti iuris studiosae bene consultum cupiunt, debent hoc, cineres tam illustrium Virorum ad vtilitatem dignitatemque Rerumpublicarum natorum, molliter fouendi, officium bonis litteris et imprimis Iurisprudentiae, cuius permultum interest, exempla magnorum Virorum etiam mortuorum proponere, vt habeant alii, quod admirabundi venerabundique intueantur, haecque doctrinae et sapientiae contemplatione, tanquam aeri calcari, ad eundem honestarum rerum sensum, amoremque magnarum laudum concipiendum alendumque incitentur. Praestabit igitur in auctoritate illorum Virorum acquiescere, qui tam iustum pretium

Philo-



Philosophiae studio posuerunt, quam nonnullos ex veteribus et hodiernis Iureconsultis audire, qui a Philosophia et omnis doctrinae liberalis scientia nudi, tam acuti, tam docti, si non aliis, sibi ipsis certe videntur, ut multo acutius videre, et multo plus Papiniano, Ulpiano, aliisque magnis Viris sapere se arbitrentur, quorum fragmenta non nostrae modo Germaniae, sed totius pene terrarum orbis oracula et sunt et habentur. Male sane cum Iurisprudencia ageretur, si vnquam tempus veniret, quo Philosophia, qua veteres Iureconsulti vsi sunt, et sine cuius peritia ius civile nec disci nec doceri recte potest, in Academiis plane neglecta et contempta iaceret. Nam Iurisscientia Philosophiae, variaeque et accuratae doctrinae adiumentis non subleuata, verbo, inerudita, omni fere tempore procreatrix et infelicissima mater grauissimorum errorum, acerrimarumque dissensionum turbarumque et fuit et erit. Nolinus igitur veterum Philosophorum libros, ut inutiles, de manibus abiiciendos, sed per omnem vitam verlandos nobis legendosque existimare. Absurda enim est vox eorum, qui quicquid vtilitatis ad rite intelligendas interpretandasque leges e Philosophia doctrinaque liberaliori adhiberi possit, improbandum reiiciendumque clamant, et res et *realia* tantummodo esse curanda crepant. Hi enim boni *Realistae* saepe pro istis *Realibus* non nisi verba dant, et incautioribus bona fide sumum venditant. Et quoties adeo pignore contendere ausim, quicquid ab his magnificis Philosophiae et litterarum cultiorum contemptoribus in has ipsas dicatur, quicquid conuiciorum coniciatur, id non eo fieri nomine, quo illarum vtilitatem necessitatemque non agnoscant, earumque scientiam omnibus votis expetendam sibi non putent, sed hoc, quia, quod iuuenes forte non didicerunt, et nunc, siue ob aetatis flexum, siue ob grauium illorum *Realium* tractationem discere se posse desperant, id etiam aliis ridiculum reddendum existimant. Quod si isti Philosophiae doctrinaeque liberalioris osores semper fuissent ii, qui nullius fere famae in obscuro ita latuissent, ut ab eorum iudicio nihil incommodi fuisset timendum, omnes istae maleuolae voces tacito risu et miseratione fuissent transmittendae. Cum vero inter omnes conser, istum Philosophiae contemptum omnibus omino litteris, tum Iurisprudenciae inprimis perniciosum

a Viris

Viris in illustri aliquo veluti theatro positis, nominisque claritate
 conspicuis, publice voce et ore, scriptisque immaturo et infausto
 partu effusis, interdum ostensum fuisse, profecto isti maximis lau-
 dibus sunt digni, qui tum non sedendum dormiendumue, sed con-
 tra istos Philosophiae otores pugnandum putarunt. Si autem quaeris,
 quid causae fuerit, quod Eunapius Sophista, Zarabella et inprimis
 Picolomineus, Ferrariensis ille non Philosophus, sed *ἄσοφος*,
 qui maligne calumniatus est, Philosophiam ad Ius discendum magis
 obesse, quam prodesse, tam infeste in Iurisprudentiam inuerti
 fuerint, et quare Philosophiam ne in contubernium quidem, nedum
 in connubium Iurisprudentiae admittendam clamauerint; nullam
 aliam inuenire poteris, quam detestandam illam Inuidientiam, e qua
 tanquam e capite Lernaeae, prorumpunt deformes saue et *κατὰ
 πύκτωι* foetus, Malignitas, Inuidia, Obrectatio, Calumnia et in-
 gens aliorum malorum cohors. Cum autem in iis, qui in sordido
 aliquo officio et illiberali arte versantur, vix feratur ista inuiden-
 tia erga sui similes: quomodo in iis aequo animo ferri poterit, qui
 artes liberales colere profitentur, quae mutuo et veluti fororio amo-
 re sese amplexae, omnia illa vitia detestantur, eaque sibi tanquam
 germanis sororibus perquam indigna et indecora esse arbitrantur.
 Sed, ne hac disputatiuncula forte vnum et item alterum ex Picolo-
 minei sequacibus, si qui sunt, in me hominem paullo timidioris
 animi concitem; bona fide confirmo, quicquid huc vsque disputa-
 rim, id a me eo consilio fuisse dictum, vt quodammodo docerem,
 quam peruersa esset opinio eorum, qui ex ignorantia aut maligni-
 tate et inuidia contenderent, Iuris studiosos Philosophiae libera-
 liumque artium studiis facile superfedere posse. Sed haec credat
 Iudaeus Apella, non ego. Nos potius in auctoritate illorum ma-
 gnorum et veterum et recentiorum Iureconsultorum acquiescamus,
 qui iuuenes Iuris studiis sese consecrantes, ne crudis studiis suis in
 forum propulsis Reipublicae magis obsessent, quam prodesse, in
 scriptis suis grauissime sunt adhortati, vt, quantum animo conniti,
 quantum opera studioque contendere possent, animum ad Philoso-
 phiam adpellerent, eamque omni ratione colendam, retinendam,
 fouendamque sibi putarent. In quibus nunc non nisi vnum Euei-
 hardum

hardum Ottonem ⁿ⁾ laudemus, quem non poenituit huius esse sententiae, vt non solum saepe contenderet, omnem iuris interpretationem sine accurata Philosophiae et liberalis doctrinae cognitione fluctuari, et dubiam incertamque vagari, sed etiam Themidis alumnis suaderet hoc, vt, nisi ignorantiam barbaricamque feliciter olim depulsam reduci, summumque ius summam iniuriam fieri vellent, omnem operam diligentiamque ad Philosophiae studium conferrent.

CAPVT I.

De Athenarum incolis.

Neminem in legenda et veteri et recentiori historia paullo diligentius curiosiusque versatum fugiet, in quamlibet recessa conditam ciuitatem plerumque homines vel ob crimen commissum patria sua proscriptos vel eximii lucri spe allectos, vel rei nouitate inductos, e diuersis locis et regionibus confluere solere. Hos vero ita confociare, vt tranquille et amice vident, rem leuis negotii esse, nemo facile erit, qui putet. Et hac de causa sapientiam veterum ciuitatum conditorum non satis possumus mirari, qui, omnibus relictis, omni opera et studio in eo elaborandum sibi putarunt, vt, in tanta incolarum et ingenio et moribus valde diuersorum turba, non solum quemque eorum in suas veluti classes redigerent, sed omnibus etiam cuique pro dignitate et facultatibus suis locum in republica tenendum et iura, quibus fruenterur, praescriberent. Rem igitur suscepturos nos esse putauimus, neque lectu plane indignam, neque antiquitatis amatoribus ingratam, neque rationibus iuuentutis iuris veteris studiosae inutilem, si de Incolis Athenarum, Spartaee et Romae, trium illarum ciuitatum tot tantisque linguis celebratarum exponeremus, et pro viribus nostris hinc inde illustrationis aliquid adspargeremus. In quo quidem rationem tenebimus hanc, vt non omnia, quae in hanc rem dici disputarique possint, vana quaedam

doctri-

ⁿ⁾ Oratt. de Stoic. Ict. Phil. et de vera Ict. Philos.

doctrinae putidae ostentatione ducti corradamus; et cum puluisculo quasi euerramus; sed, ut non nisi summam rei tangamus, et mores, instituta, praesertim vero praecipuas, quas de incolis eorumque iuribus cum in Graecia tum in Latio latas fuisse constat, leges in hac Commentatione veluti in exigua aliqua tabula depictas, per transfennam proponamus spectandas, consilio hoc, ut ex enarratis variis horum populorum institutis et legibus, iisque inuicem comparatis cognosci intelligique possit, vbi Romani Graecos vel sequendos et imitandos vel relinquendos statuerint. Quemadmodum vero inter omnes constat, omnes pene omnino ciuitates ab exiguis initiis cooriri, tantumque et fortunae beneficio et temporis diuturnitate crescere solere: ita etiam Athenis, vrbe, quae sequentibus seculis omnes ceteras Graeciae vrbes multitudine hominum longe superavit, initio tamen paucos incolas repertos fuisse legimus. Hoc cum eius auctor et conditor Cecrops, animaduertisset, tanquam bonus patriae pater huic malo statim praesenti remedio occurrendum serio cogitauit. Et profecto, si dicendum, quod res est, nescio an sapiens et prouida Cecropis cura amplius aliquod, praestantius, communique patriae suae saluti fructuosius munus adferre potuisset, a) lege illa ab ipso lata, quae, ut peregrinos ad domicilium suum Athenis constituendum alliceret, nonnisi eo spectauit, ut aduenae, qui Athenas habitandi causa commigrassent, intra breue temporis spatium in ciuitatem reciperentur, receptique iisdem, quibus incolae, iuribus fruerentur. Sapientissimum vero, quod ille in hac lege ferenda secutus est consilium, felici successu adeo non caruit, ut etiam, cum, censu instituto, ut vnusquisque lapidem in certum coniceret locum, iussisset, b) vnginti millia ciuium reperirentur. Hunc ciuium Atheniensium numerum nonnisi Periclis c) temporibus imminutum inuenimus. Qui, cum legem rogasset hanc, ut, qui ambobus parentibus ciuibus Atheniensibus nati essent, soli in numero ciuium ponerentur, tam seuerè Atheniensium conditionis

C 2

a) *Aristoph.* Schol. in *Ran.*b) ex *Philochor.* refert *Pindari* Scholiast. *Olymp.* ode IX, ad vers. 68.c) *Plut.* in *Pericl.*



quaestionem habuisse dicitur, vt, quinque millibus pro nothis declaratis venditisque, eorum, qui examini satisfecerant, et pro veris Atheniensibus probati fuerant atque existimati, numerus, censu instituto, adhuc quatuordecim mille et quadraginta homines completeretur. Cum vero Demetrius Phalereus vrbis praefectus, praeter ciuium numerum a Cecrope constitutum, inquilinorum decem millia, seruorum vero quadringenta millia inuenta fuisse, ex Ctesicle d.) Athenaeus nos docet. Haud immerito igitur Critias apud Xenophontem *) Athenas τὴν πόλιν πολυανδρωποτάτην τῶν Ἑλληνίδων nominauit. Hic vero non possumus mirari satis fortunam, qua faultrice et adiutrice Atheniensis ciuitas, cuius incolae, antequam f.) Hyperbius et Euryalus, fratres ibi domos exstruxerant, specubus habitasse, fama est, tam breui temporis spatio eo creuit, vt postea et magnitudine et incolarum multitudine ceteras totius Graeciae vrbes superaret. Quanquam vero inquilinorum et seruorum turba ciues Atheniensis κατ' ἐξοχὴν sic dictos numero longe excedebat; tamen legum latorum, quos Attica terra tulit, sapientia ciuium rationibus quam optime eo consulendum statuit, vt iis imperium dignitatem, potentiam, multaque iura ac priuilegia, quibus illi penitus erant priuati, concederent, et tanquam propria vindicarent. Ciuis igitur apud Atheniensis, nisi, qui vtroque parente Ciue natus aut a toto populo ciuitate erat donatus, nemo dici haberique poterat, Demosthenes, §) qui ipse et matre et patre ciuibus fruebatur, dignus mihi videtur, quem audiamus de hac re loquentem in Oratione aduersus Ebulidem: Οὐκ ἄν ὅτι μὲν καὶ τὰ πρὸς μητρός εἰμι ἀστός, καὶ τὰ πρὸς πατρός, τὰ μὲν, ἐξ ἧν ἀρετῆς μεμαρτύρηται, μεμαρτήκατε πάντες, τὰ δ' ἐξ ἧν πρότερον περὶ τοῦ πατρός, λοιπὸν δέ μοι περὶ ἑμαυτοῦ πρὸς ὑμᾶς εἰπὴν τὸ μὲν ἀπλοῦστάτον, οἶμαι, καὶ δικαιοτάτον, ἐξ ἀμφοτέρων ἀστόν ὄντα με, κεκληρονομητοῦ καὶ τῆς εὐστίας, καὶ τοῦ γένους, εἶναι πολίτην. Quanquam multi hic erunt, qui

d.) Athen. L. VI.

e.) Xenoph. Hist. Graec. L. 2.

f.) Plin. L. 7. c. 56. Isocrat. in Panegyri.

§) Demosth. in orat. contr. Eubul. ed. Reisk. p. 1313.

auctoritate Plutarchi ^{h)} et Aeliani ⁱ⁾ inducti forte contendant, Periclem eo tempore, quo in republica floruerit legitimosque filios habuerit, primum constituisse hoc, ut non nisi utroque parente ciue nati pro veris ciuibus haberentur; tamen non temere me contendere puto, longe ante Periclis tempora legem huius argumenti latam fuisse. Nemo enim tam peregrinum in Graecis litteris me existimet, ut Solonem nesciam legem tulisse, qua nothis agnationis cognationisque iura in omnibus rebus siue publicis siue sacris denegata fuisse, Aristophanes ^{k)} his versibus nobis tradidit:

Ἐγὼ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον
 Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-
 στελῶν.

Laudatur etiam haec lex ab Ilaeo *ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου*, et a Demosthene *ἐν τῷ πρὸς Μανασσατοῦν*. Ex his vero facile intelligi poterit, Periclem non nouam legem tulisse, sed tantum, mutatis verbis, hac de Ciuibus sanctione, antiquae illi Solonis de nothis legi, quae, ut fit, tacito illiteratoque consensu antiquata erat, pristinam auctoritatem reddidisse. Sed haec ipsa Periclis lex per tam breue temporis spatium obtinuit, ut ipse cum aduersa fortuna confictatus, quam tulerat ante, legem antiquandam suaderet. Cum enim omnes suos filios legitimos amisisset, in publica concione Athenienses precibus adiit, ut filium suum nothum, ne familiae nomen penitus intercideret, in propriam suam Tribum paterno nomine insignitum, referrent. Athenienses vero tristi Periclis conditione commoti, ratique, cum filiis legitimis orbatum tantas prioris superbiae arrogantiaeque poenas dedisse, ut vindictam diuinam nunquam acrius seueriusque experiri potuisset, hoc eius precibus libenter dederunt. Ab hoc igitur inde tempore alterutrum parentem ciuem suffecisse, satis patet ex Demosthenis ^{l)} verbis, qui in laudata

C 3

Oratione

h) *Plut.* in Vit. Pericl.

i) *Ael.* Var. Hist. L. VI. c. 10.

k) *Aristoph.* Av.

l) *Demosth.* Orat. in Ebul. p. 1307.



Oratione ita dicit: *Τοῖς χρόνοις τοίνυν οὕτω Φάινεται γεγονώς, ὥστε, εἰ καὶ κατὰ θάτερα ἀστὸς ἦν, εἶναι πολίτην προσήκειν αὐτόν. γέγονε γὰρ πρὸ Ἐυκλείδου.* Anno vero secundo Olympiadis nonagesimae quartae, Euclide Archonte, Aristophon Rhetor, ^{m)} ductus consilio hoc, ut ius istud antiquum quodammodo restauraretur, lege cauit, ut tantummodo, qui matre ciue nati essent, in ciuium numero haberentur, reliqui vero nothi essent. Ex his vero dilucide apparet, illo tempore liberos legitimos nonnisi ex legitima vxore procreari potuisse, et legitima vxore praeter ciuem nulla habita, ceteras omnes concubinas fuisse. Huc vero referenda mihi videntur verba illa memoratu haud indigna, quae apud Pollucem ⁿ⁾ extant, vbi diserte dicitur, *τὸν νόθον* e peregrina aut pellice, *τὸν γνήσιον* vero ex muliere ciue et nupta, id est, ex legitimo matrimonio nasci. Quem admodum igitur nothi, ut iam supra monuimus, nihil sacri nihil publici commune cum patre habebant, aut cum eius cognatis agnatisue; ita etiam inter ciues eos referri, ac ne eius quidem, qui generat, nomine, nisi illis Adoptione subueniebatur, vti licebat, sed ex lege naturae matris conditionem sequebantur. Omnes vero, qui tanquam nothi aut peregrini se ciues Athenienses esse, mentiebantur, grauissimum crimen commississe putabantur, peculiarique adeo lege, ut in huiusmodi *παρεγγεγραμμένους εἰς τὴν πολιτείαν* feuerissime animaduerneretur, constitutum fuisse, Demosthenes in Timocrat. et Vlpianus nos docent. Hi enim *τῆς ξενίας* accusati, quamuis vades dare parati, tamen, antequam in iudicium veniebant, in vincula coniciebantur, et, si argumentorum rationumque ab accusatore adductarum pondera grauiora erant, damnati *τῆς ξενίας* apud iudices vendebantur. Nec satis erat semel se purgasse. Sed, si qua aderat suspicio, iudices ab illis ad suam causam pecunia aut donis fuisse perductos, cuiuslibet eos, aduersus quos iam pronuntiatum erat, apud Thesmothetas ^{o)} *δωροξενίας* postulare licebat. Ne quis autem, qui Atheniensis non esset, in ciuitatem falso ad-

scripsit

^{m)} *Caryst. ιστορικῶν Ἐπεινημάτων. L. 3. Ardenaeus L. 13.*

ⁿ⁾ *Pollux L. III.*

^{o)} *Hyperid. in Aristagor. Poll. L. III. c. 4.*

scriptis obreperet, eaque simul falsis nominibus purgaretur, legem *Διαψηφίσεως*, qua de omnibus civium albo inscriptis, nullo adeo accusante, vtrum vere ciues essent, nec ne, quaestio haberi iuebatur, anno secundo Olympiadis nonagesimae, Arehia Praetore latam fuisse, apud P) Harpocracionem, Vlpianum, Olympiadum Descriptorem anonymum, q) aliosque legimus. Quae vero huius iudicii fuerit ratio, quis in eo obtinuerit mos, paullo accuratius diligentiusque explicare atque excutere studeamus. Nimirum in hoc examine instituendo, quo, num quis reuera sit ciuis et popularis, Demarchus, penes quem erat τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, δημότως suis conuocatis et nominibus omnium, qui ad hunc pagum pertinebant, ex hoc libro civium nomina complectente recitatis, iis, qui peregrinitatis postulabantur, imponebat hoc, vt, si indigenas se dixerant, auos suos eorumque *Φρατρίδας* indicarent idoneisque testibus probarent; sin adscititii erant, publica, quibus in ciuitatem recepti cooptatique fuissent, decreta proferrent. Quo facto *δημότας* iurati, ante solis occasum, et ne odium alicui moueretur, priuatim, fabis adhibitis ita sententiam ferre solebant, vt, albae si numero superiores erant, accusatus absolueretur; sin nigrae, nomine eius ex albo civium expuncto, inter inquilinos referretur. Talis homo dicebatur *ἀπεψηφισμένος*, res vero ipsa *ἀποψηφισις*. Hic vero valde discrepare et inter se dissentire mihi videntur Helychius et Pollux, quorum alter fabis, alter foliis, suffragia in hoc iudicio lata fuisse contendit. Sed facile potest, mea quidem sententia cum Helychio conciliari Pollux, vt optime cum eo consentire videatur. Pollux r) enim, cum *δημότας* foliis vel frondibus, quibus verorum falsorumque civium nomina inscripta fuissent, suffragia tulisse dicit, non est dubium, quin id de temporibus intelligendum esse velit iis, quibus in sententiis ferendis fabarum vsus interdictus erat. Concedimus igitur et damus libenter, antiquissimis Reipublicae Athenien-

iis

p) Meurs. Att. Lect. L. 3. c. 10.

q) Liban. in Arg. Orat. contr. Eubul.

r) L. 8. c. 5. φύλλοις δὲ ψηφίζοντο οἱ κατὰ δήμους διαίρωντες, οἷς ἐπέγραφοι, εἰ τις ὡς παρεγγράπτος ἐκρίνετο.



sis temporibus in suffragiis ferendis fabas fuisse adhibitas; at iidem illi contendimus, hunc morem tantum usque ad tempus, quo Xenotimus vixisse constat, durasse. Atque hic quidem profecto longe absum, ut dubitem, quin rem narrem miram multis, insolenterque quodammodo disputare videar: quos etiam velim atque etiam rogatos, ut iudicium contineant, neque prius de me seuerè pronunciant, quam rationes audierint, exegerintque meas, quas si me sibi non probasse ostenderint, et tanquam vanas illas conuicerint, profecto non intercedam, quo minus hanc meam sententiam contemnendam planeque reiiciendam arbitrentur. Nimirum cum ^{s)} conflat, in iudicio illo, quo Athenis senatores indigni senatu moueri solebant, moris quidem fuisse consuetudinisque hoc, ut iudices in suffragiis ferendis fabis uterentur; ab eo vero tempore, quo Xenotimus fraudem fecisse deprehensus erat, fabarum loco folia ^{t)} semper adhibita fuisse; non absurde, ut mihi quidem videtur, et inepte exinde colligere me puto, hunc morem, ut omnis omnino fraudis occasio praecideretur, etiam in *διαψηφίσεως* iudicio fuisse receptum. Hoc vero ita fuisse, popularesque *Φύλλοις* suffragia de ciuibus ciuitate priuandis tulisse, intelligi potest ex eo, quod Pollux vocem *ἐκ Φύλλο Φορησάα*, quae proprie senatu aliquem mouere denotat, etiam de iis, qui foliorum suffragio fuerint ciuitate exclusi, usurpare non dubitauerit. Nemo vero putet, me esse eum, qui certa esse et fixa audeam contendere, quae dixerim, praesertim in tanto de ea re apud Auctores et silentio et dissensu, sed, qui ut homunculus vnus e multis non ultra progrediar, quam, ut verosimilia sequar, et quae veritatis aliqua specie valde abblandiantur, mirificeque sese mihi probant. Eadem vero lege, qua, ut quaesitio de omnium ciuium conditione haberetur, constitutum fuisse vidimus, damnatis et in iudicio suorum *δημοτῶν* acquiescere nolentibus, ab his ad iudices provocare concessum erat. Quo facto Thesmothetae ipsis iudices dare solebant. Ex quorum iudicii tanquam certamine si victores abierant, ciuitati reddebantur, sin autem etiam hic causa ceciderant, vendebantur,

s) *Etymolog. Auctor. Meurs. Lect. Att. L. 3. c. 19.*

t) *Harpocration in ἐκ φύλλο φορησάα. Aeschines in Timarch.*


tur, eorumque bonâ publicari solebant. Id quod Dionysius Halicarnasseus in Isæo fufius latiusque enarrat. Possem hic multis enarratarum legum Atheniensium sapientiam præstantiam utilitatemque laudare, nisi verendum haberem, ne mihi idem accideret, quod olim Sophistæ, nescio cui, accidisse scimus, qui, cum in magno Spartanorum conuentu procedere vellet, et Herculem se laudaturum esse, ostendisset, ab Antalcida hac odiosa et mordaci interrogatione perturbatus illudebatur: Num quis Herculem vnquam vituperauit, vt de laudatore opus habeat? Progrediar igitur ad alias Atheniensium leges, et lectu et cognitu, vt mihi quidem videtur, sane dignissimas. Inter sapientissima vero et Reipublicæ Atheniensi saluberrima instituta referendum erit hoc, quo, ^{u)} ne quis se falso pro ciue gerere posset, vnicuique patri cuique Atheniensi iniungebatur hoc, vt, liberis suis vel legitimis vel adoptiuis inter *Φεάτορας* relatis, ibi, eos a se vel e legitimis nuptiis susceptos, aut secundum Atheniensium iura fuisse adoptatos, iureiurando confirmaret. In quo vero Curialium ^{x)} morositas est obseruanda, quæ eo progredi solebat, vt, non semper patri iusiurandum interponenti fide habita, consensum aut dissensum suum in puero admittendo suffragiis priuatis significarent. Et quamuis contra eos iuuenem non admissuros ^{y)} iudicio experiri liceret; tamen ii demum, qui vere *γνήσιοι* vel legitime adoptati erant reperti, *τῶν Φεάτορων* albo, quod *κοινὸν γραμματεῖον* dicebatur, suo paternoque nomine inscribebantur, hoc tamen discrimine habito, vt adoptiui Thargeliorum festo, legitimi vero naturalesque liberi tertia Apaturiorum die inter *Φεάτορας* referrentur. Haec vero dies *Κουεσῶν* nominabatur, vt Petitus ^{z)} recte monuit, *ἀπὸ τοῦ κούρου καὶ τὰς κορὰς ἐγγράφειν εἰς τὰς Φεατίας*, non autem, vt nonnulli falso putarunt, *ἀπὸ τοῦ κείειν τὴν κόμην*, quod Ephebis quidem, qui inter viros hac die recepti comam tondere solebant,

u) *Ij.* de Apollod. hered.

x) *Demosth.* in Macart.

y) *Demosth.* in Neacr.

z) in Commentar. ad leg. Att. L. II. tit. 4.



bant, non autem pueris inter Curiales admittendis convenire potest. Fuit vero in more positum, consuetudineque receptum hoc, ut victimae, quarum pondus lege erat definitum, pro pueris in *Φεάτραις* recipiendis, offerrentur. Talis victima *μείον*, eam vero oblaturi *μειαγωγοί* dicebantur hanc ob causam, quia *οἱ Φεάτροες* hostias, cum exhiberentur, infra pondus esse, per ludum iocumque dicentes, acclamare solebant: *ιστάμεν δὲ, μείον γὰρ ἐστί.*^{a)} Hostiae vero ipsae erant et b) ovis et c) capra, quae in honorem Iouis *Φεατρίου* et *ἀπάτροος*, Mineruae et Bacchi *μελαναργίδος* mactabantur. Ex quo Bacchi cognomine coniiicio capram ei esse mactatam. An vero plures Oves Ioui et Mineruae fuerint mactatae, quamquam ex aliquo Aristotelis^{d)} loco, duas tantummodo oves immolatas fuisse, suspicamur, tamen in tanta monumentorum, quae hoc diserte doceant, inopia, quando nihil certi equidem possum affirmare, malo, me hanc rem plane ignorare, ingenue fateri, quam ambitiose ea et temere effundere, quibus forte ipsa Veterum auctoritas refragatur. Ceterum Meursius Pollucis, Athenaei et Hesychii auctoritate inductus, a pueris inter Curiales referendis Herculi vinum, Dianae vero comam ipsorum detonsam oblatam fuisse contendit. At Petitus hanc opinionem plane contemnendam reiiciendamque existimat, et hoc nonnisi a liberis Epheborum albo inscribendis factum fuisse censet. Has duas vero sententias, quarum vna aduersari alteri videtur planeque refragari, ita componendas conciliandasque esse puto, ut dicamus, Meursium, quamuis Athenaei^{e)} et Hesychii^{f)} loca, quae Petitus, mea quidem sententia, recte de puerorum apud Ephebos professione est interpretatus, non satis intellexisse videatur, tamen,

a) Poll. L. III. Cap. IV. Schol. Aristoph. in Av.

b) Suid. in *μειαγωγίῳ*. Καὶ ὁ τὸ πρῶτον εἰσάγων, μειαγωγὸς ἐκαλεῖτο. Schol. Aristoph. l. c.

c) Poll. l. c.

d) Aristotel. L. V. Ethn. Nicomach.

e) Athen. L. XI. e Pamphil.

f) Hesy chius. *Οἰστρογία*.

tamen, a liberis Atheniensium inter *Φεάτορας* referendis vinum oblatum fuisse, omni iure meritoque contendere potuisse, praesertim, cum Pollux ^g) disertis verbis dicat: 'Η δὲ ὑπὲρ τῶν εἰς τοὺς *Φεάτορας* εἰσαγομένων παιδῶν οἴνου ἐπίδοσις, οἰνηθρία ἐκαλεῖτο τὸ δὲ ἱερὸν, τὸ ὑπὲρ αὐτῶν, *Μεῖον καὶ Μειαγωγεῖν*, τὸ εἰσάγειν ἱερεῖον. Quemadmodum vero filios, ita etiam filias suas, patres in tribules referendas curabant, et, ut sacrificium illorum causa institutum *Κουρεῖον*, ita harum, *Γαμηλία* dicebatur, eodem Polluce ^h) auctore. Annus vero, quo haec inscriptio facta fuerit, inter varios et veteres et recentiores scriptores adeo non convenit, ut in hac re valde incerti dubiique fluctuari videantur. Alii enim eam tribuunt ⁱ) primo, alii ^k) tertio aut quarto, alii ^l) ei, ubi prima elementa didicissent, alii vero denique ^m) quinto decimo liberorum anno. In tanto vero opinionum dissenſu cum officii esse partiumque mearum videatur, quae mea sit sententia, exponere; non temere me cum Pottero et Petito, Iudicibus in hac re sane elegantissimis, contendere puto, liberos Atheniensium non vno eademque aetatis anno, sed forte pro lubitu, intra tertium vel quartum, saltem vero intra septimum τῶ κεινῶ γεματεῖω fuisse inscriptos. Id quod ex Aristophane ⁿ) posse probari videtur, ubi Chorus Archidemum, qui annos septem natus nondum inter *Φεάτορας* relatus fuisset, his verbis perstringit:

Βούλεσθε δῆτα κοινῆ
Σκώψομεν Ἀρχέδημον;
Ὅς ἐπ' ἑτῆς ὧν οὐκ ἔφυσε *Φεάτορας*.

D 2

Cum

g) Poll. L. 3. c. 4.

h) Poll. L. VIII. c. 9. Sect. 28.

i) *Erymolog. Auctor Voc. Ἀπαύγια*: ἐν ταύτῃ τῇ ἐορτῇ, τοὺς γενομένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῃ παιδῶν τότε ἐνέγραφον.k) *Procl. in Plat. Timaeum*. Ἡ δὲ τρίτη (ἡμέρα Ἀπαυεῖων) *Κουρεῖτις*: ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κόβρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς *Φεάτορας*, τριετείς ἢ τετραετείς ὄντας.l) *Heliador. L. I*. Ibi extat exemplum Cnemonis.m) Interpr. Vesp. Aristoph. *Sigon. de Republ. Athen. L. 2. c. 2.*n) *Aristoph. Ran. Act. 1. Sc. 7.*



Cum vero hanc puerorum in Curialium album inscriptionem a nonnullis viris doctis cum eorum professione apud Ephebos et populares male confundi legeremus: operae pretium nos facturos esse putauimus, si orationem nostram ad explicandum modum et rationem conferremus, qua vtraque facta fuerit veteres Autores non docent. In qua re vero exponenda, ne quis ambitu intelligendos ductos magis, quam rei necessitate coactos disputasse nos dicat, interfabimur, vt ea neque putide tractata, neque negligenter relicta a nobis esse videatur. Optime, mea quidem sententia, Aristippus Cnemonis pater, apud Heliodorum loco laudato relationem liberorum Atheienseium in τῶν Φεατόρων album ab eorum apud Ephebos professione distinxisse videtur cum ita dicit: ἐπὶ δὲ τάχιστα μοι ἐγένετο, ελευθερίου τε τρεφῆς μεταδοῦς, καὶ τὰ πρῶτα τῶν γραμμάτων διδάξάμενος, εἰς τοὺς Φεατορας καὶ Γενητορας εισαγαγῶν, εἰς ἐφήβους ἐγγράψας. Huius vero professionis tempus legitimum erat annus octauus decimus. Id quod docet Pollux. L. 8. c. 9. Καὶ εἰς τοὺς ἐφήβους εἰσῆσαν ἑντακάδεκα ἔτη γενόμενοι. In hoc vero actu solenni moris consuetudinisque fuit hoc, vt puerorum pudenda inspicerentur atque explorarentur consilio hoc, vt inde posset intelligi, an octodecim annis haud minores, igiturque per aetatem ad munera publica obeunda essent admittendi. Meminerunt huius δοκιμασίας αἰδῶν καὶ πῶν παίδων ἡλικίας et Aristophanes et Aristoteles apud Interpretem Comici, quorum prior scribit:

Παίδων τῶντων δοκιμαζομένων αἰδῶς πάρεστι θεᾶσθαι.

posterior vero dicit: ὅτι ψῆφω οἱ ἐγγραφομένοι, δοκιμάζονται οἱ νεώτεροι, εἰ μὴ ἔτων ἡ. εἰν. ἄλλως, τῶν γὰρ παίδων ἡλικίαν δοκιμάζοντες, τὰ αἰδῶς ἐσκόπουν, διὰ τὸ δεῖσθαι αὐτῶν εἰς τὸ χρησιμεύειν ἐν ταῖς λειτουργίαις. Quamquam vero sunt, qui hunc Aristotelis locum ad inscriptionem puerorum in Φεατόρων album referendum putent; tamen, quo iure id facere possint non video. Neminem enim tam hebetis ingenii esse puto, quin facile hic intelligat, δοκιμασίαν illam, qua aetas et pudenda puerorum ea de causa, explorabantur, vt, an ad reipublicam capessendam apti utilesque essent, inde cognosceretur, in pueris septem annos natis adeoque non

non puberibus, nullius plane utilitatis fuisse. Vt vero dicam, quod sentio, hic Aristotelis locus de adolescentibus, anno aetatis octavo decimo Epheborum περιπόλων albo inscribendis intelligendus mihi videtur. Hi autem die Apaturiorum festi Coureotide ^o), vino oblato, comam deponere hostiamque Dianae mactare solebant, quae ἀπό τοῦ ἀποκείειν τὸν μαλλὸν, κοῦρεῖον vocabatur. Comam vero nonnisi τοὺς μέλλοντας ἐΦυβεύειν deposuisse, Hefychius loco laudato testatur. Ceterum haec dies, Coureotidis nomine insignita, atque inscriptioni liberorum Atheniensium et cum in Φρατῶρων tum Epheborum album communis errori locum fecisse videtur, quem nonnulli, in vtraque interdum confundenda commississe sunt existimandi. Vtramque, meo iudicio, coniungit Pollux illo ^p) loco, quo dicit: περὶ Φρατῶρων, εἰς τούτους τοὺς τε κούρους, καὶ τὰς κόρας εἰσῆγον. καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντων ἐν τῇ καλουμένῃ Κουρεωτίῳ ἡμέρᾳ, ὅπερ μὲν τῶν ἀρρένων τὸ κοῦρεῖον ἔθυσεν. Quorum verborum priora ad relationem liberorum in Φρατῶρων album, posteriora vero ad adolescentium apud Ephebos professionem spectare, nemo erit, quin videat. Hi duo igitur actus solennes maxime inter se erant diuersi. In illo enim, an liberi vtroque parente ciue Atheniensi nati essent, in hoc vero, an per aetatem iis negotia publica administrare liceret, inquiri solebat. Et haec quidem mea est de hac re sententia, quam tum demum non vanam putabo, planeque ineptam, si Viris iis, qui in hac humanitatis parte diutius sint felicisue versati, non omnino displicuisse eam intellexero. Resat, vt de tertia professione, quae apud τοὺς δημότας, id est, apud Viros eiusdem pagis fiebat, paucis exponamus. De modo vero ac ratione, qua facta fuerit, dignus videtur, qui audiatur Pollux L. VIII. c. 9. Ἐμοστῶ δ' ἔπει ἐνεγάθοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματεῖω ὁ δὲ εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφεῖς ἦδη τὰ πατρῶα παραλαμβάνει. ἢ δὲ πατρῶα οὐσία καὶ ληξίς ἐκαλεῖτο. Inscribebantur igitur adolescentis τῷ ληξιαρχικῷ γραμματεῖω ante ^q) Panathenaea, primis in-


D 3

euntis

o) Hefych. Ὀμιασθία. Athen. L. XI. c Pamphil.

p) Poll. l. VIII. c. IX.

q) Demosth. in Orat. adv. Leochar.



euntis anni diebus, consilio hoc, ut ab hoc inde tempore sui iuris essent, atque in republicae negotiis adhiberi possent. Hoc a Graecis scriptoribus dicitur ἐγγράφεται εἰς ἄνδρας. Inscribendi vero nominabantur δοκιμαδέντες hac de causa, quia a Demarcho, in Lexiarchicum non ante e popularium suorum sententia referebantur, quam exploratum compertumque habebat, eos vel parentibus civibus Atticis natos vel secundum Atheniensium leges adoptatos fuisse. Inscripti accipiebant ¹⁾ tabellam buxeam, cui uniuscuiusque et paterni quoque populi nomen erat inscriptum, adeoque adoptati et nomine et τῶ δῆμῳ patris adoptivi censebantur. His omnibus peractis adolescentes in viros transcripti iusiurandum, cuius formula apud Pollucem et Stobaeum extat, in Agrauli, Cecropis filiae, aede iurare solebant, quod ut lectu non indignum, ita ad patriae amorem in iuvenum illorum animis concitandum perquam efficax fuisse existimo. Sed ex quo tanquam diuerticulo oratio est digressa mea, in id reuertatur. In eo eramus, ut ostenderemus, Athenis nisi, quem pater, vel ex legitimo matrimonio susceptum vel secundum leges adoptatum fuisse, iuramento confirmans, in τῶν Φεατόρων album referendum curasset, neminem in civium numero habitum fuisse. Sed alia etiam adhuc erat via, qua aduenae, qui, ciues quamquam non erant Athenienses nati, tamen horum iura acquirere poterant. Id quod civitatis donatione factum fuisse Autores veteres tradunt. Quodsi vero antiquissimorum Reipublicae temporum memoriam mente et cogitatione nostra repetimus, Theseo neminem in aduenis civitate donandis liberaliorem fuisse inuenimus. Hic enim ²⁾ lege illa, qua peregrinos Athenos inuitaturus omnes pari iure esse iusserat, nisi Sacerdotia, Magistratus, et ius rerum diuinarum atque sanctarum interpretandarum, solis ingenuis nobilibus reseruatum exceperis, omnem pene inter ciues et aduenas differentiam sustulit. Postquam vero incolarum Atheniensium numerus in dies magis magisque

¹⁾ Hesych. χαλκοῦν, πινάκιον. Ἀθηναῖοι εἶχον ἕκαστος πινάκιον πύξινον ἐπιγεγραμμένον, τὸ ὄνομα τοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῦ δήμου πατρῴου.

²⁾ Plut. in Theseo.

gisque auctus erat, *) Solon, ne respublica ex hac tanta peregrinorum inter ciues relatorum turba detrimenti aliquid caperet, veritus, lege sanxit, ne omnes aduenae promiscue, sed ii tantum, qui vel patria proscripti perpetuo exfularent, vel πάνεσται Athenas, artis exercendae causa commigrarent, ad hunc honorem admitterentur. Et hac quidem lege Solon saluti ciuium suorum haud parum prospexisse est censendus, praesertim, cum experientia quotidiana docere soleat, eos, qui vel necessitate coacti vel consulto patriam reliquerint, ea terra, vbi nouum domicilium constituerint, nihil carius habere, adeoque bonos ciues esse solere. Clifthenes u) vero, qui Pisistratidas Athenis exegit, omnibus peregrinis aut seruis inquilinis, nullo discrimine habito, ius ciuitatis concessisse fertur. Sub seruis vero, qui his temporibus ius ciuitatis consecuti fuisse traduntur, non nisi, vt Aristotelis ipse obseruauit, μετοίκοι intelliguntur. Ne enim omnibus seruis promiscue id concederetur, lege postea cautum est, qua vernae, id est, qui natura, non calamitate in seruitutem erant detrusi, ciuitatis iure indigni declarabantur x). Eo vero tempore, quo potentia Atheniensium eo creuerat, vt fama rerum ab ipsis fortiter feliciterque gestarum non modo Graeciam sed remotissimas etiam gentes perualisset, ius ciuitatis ab iis summi fauoris loco habitum, praeter eos, qui vel natiuitate famaue conspicii, vel Reipublicae insignem nauarant operam, nemo consequi poterat. Quid? quod, ne quis, nisi bene praecclareque de republica esset meritus; ciuitate Atheniensi donaretur, lege post fufum Mardonium Persasque ad Plataeas victos lata, vetitum erat. Mentio fit huius legis apud Demosthenem in Oratione contra Neaeram, quem, quo studiosior fuit

*) Plut. in Solon παρέχει δὲ ἄπορίαν καὶ ὁ τῶν δημοποιήτων νόμος, ὅτι γενέσθαι πολιτικῶν οὐ δύναται πλὴν τοῖς φεύγουσιν λειψυγία τὴν αὐτῶν, ἢ πάνεσται Ἀθήνας μετακισσομένοις ἐπὶ τέχνη.

u) Aristot. Polit. L. III. ἀλλ' ἴσως ἐκεῖνο μᾶλλον ἔχρειν ἄπορίαν, ὅσοι μετέσχον, μεταβολῆς γενομένης πολιτείας, ἐν Ἀθήνῃσιν ἐποίησε Κλεισθένης μετὰ τὴν τῶν Τυρένων ἐκβολὴν, πολλοὺς γὰρ ἐφύλαττεν ἕξενος καὶ δούλοις μετοίκους.

x) Dion. Chryl. Orat. XV οὐκ ὁρίσθη τὴν Ἀθήνησιν, ἔφη, νόμον ὅτι τῶν φύσει δούλων γενόμενον οὐκ εἶ μετέχων τῆς πολιτείας.

fuit cupidiorque legum, earumque rationis penitus cognoscendae, eo diligentiorum accuratiorumque fore interpretem putamus, ideoque hic excitabimus ita, ut quae vis huius legis sit, quae sententia, eam nobis exponat. Audiamus illum laudata Oratione de hac lege ita disputantem: Πρώτον μὲν γὰρ νόμος ἐστὶ τῶν δῆμων κείμενος, μὴ εἶναι ποιήσασθαι Ἀθηναίων, ἂν ἂν μὴ, δι' ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ἄξιον ἢ γενέσθαι πολίτην. ἔπειτα ἐπειδὴ πεισθῆ ὁ δῆμος, καὶ δῶ τὴν δωρεάν, οὐκ εἶα κύριαν γενέσθαι τὴν ποιήσιν, εἰ μὴ τῇ ψήφῳ εἰς τὴν ἐπιούσαν ἐκκλησίαν ὑπερξανακίχλοι Ἀθηναῖοι, ψηφίσωνται, κρύβδην ψηφίζομενοι. τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς κἀδίστους ὁ νόμος, καὶ τὴν ψήφον δίδουσι προσίοντι τῷ δήμῳ, πρὶν τοὺς ξένους εἰσεῖναι, καὶ τὰ γέγραα ἀνάξειν ἵνα κύριος ἂν αὐτοὺς αὐτοῦ ἕκαστος σκοπῆται πρὸς αὐτὸν, ἕν τινα μέλλει πολίτην ποιήσεσθαι, εἰ ἄξιός, ἐστὶ τῆς δωρεᾶς ὁ μέλλων λήψεσθαι. Quamquam autem civitatis ius suffragiis populi contentibus alicui fuerat concessum; tamen cuius licebat talem civem δημοποιητὸν in ius vocare, aduersusque eum actione legum violatarum vti, qua accusator civitatis ius praeter meritum legesque reo datum fuisse criminabatur. Id quod idem grauissimus Auctor laudato oratione testatur, ubi ita pergit: ἔπειτα μετὰ ταῦτα παρανόμων γεαφῶν ἐποίησε κατ' αὐτοῦ τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων, καὶ ἐστὶν, εἰσελθόντα εἰς τὸ δικαστήριον ἐξελέγξαι, ὡς οὐκ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς, ἀλλὰ παρὰ τοὺς νόμους Ἀθηναῖος γέγονε. Cuique igitur, qui iam plebiscito civitatis iuris particeps declaratus erat, poterat accidere hoc ut ipsi legum violatarum criminis postulato, ius illud tanquam ignorantia et imprudentia vulgi concessum iudicium sententia adimeretur. Hoc modo a Pytholao Thessalo et Apollonide Olynthio, ut multos alios apud eundem *) Demosthenem legimus. Καὶ ἤδη τισὶ τοῦ δήμου δόντος τὴν δωρεάν, λόγῳ ἐξαπατηθέντος ὑπὸ τῶν αἰτούντων, παρανόμων γεαφῶν γενομένης, καὶ εἰσελθούσης εἰς τὸ δικαστήριον, ἐξελεγχῆναι συνέβη, τὸν εἰληφότα τὴν δωρεάν, μὴ ἄξιον εἶναι αὐτῆς, καὶ ἀφείλετο τὸ δικαστήριον. καὶ τοὺς μὲν πολλοὺς, καὶ παλαιούς ἐργον
δη-

*) in Orat. contr. Neacr. p. 1375.

διηγήσασθαι ἃ δὲ πάντες μνημονεύετε, Περσέων τε τὸν Θετταλόν, καὶ Ἀππλωνίδην τὸν Ὀλυθιον, πολίτας ὑπο τοῦ δήμου γενομένους, ἀφιέλετο τὸ δικαστήριον. In quo non dubito, quin quisque accuratior paullo huius rei cognitionem desideraturus, satisfactum sibi cupiditatique suae a Demosthenis copia esse diligentiaque fateatur. Apparet vero ex his, Athenienses tempore eo, quo eorum potentia ac fortuna summum fastigium attigerat, nonnisi iis, quos veluti insigni honore condecorare volebant, ius ciuitatis fuisse largitos. In quo honore vero conferendo tam difficiles morososque se interdum praebuerunt, ut adeo 2) Menoni Pharsalio et Perdiccae, Macedoniae Regi, quamvis egregiis factis praeclare de Republica Atheniensium meriti ius ciuitatis consequi gestirent, tantum ἀτέλειαν, siue immunitatem a tributo, quod ab inquilinis ferebatur, non autem ius suffragii vel alia iura Ciuibus propria concederent. In iis, quos hoc honore dignos putarunt, fuerunt a) Hippocrates Medicus, b) Aiacis filii, Euryfaces ac Philaeus, qui in ciuitatis concessae pretium Atheniensibus Salaminem tradidisse dicuntur, alique, quos vero omnes hic recensere, longius esset, quam pro instituti nostri ratione. Sed liceat nobis hic obseruare, ius ciuitatis Atheniensis tanti esse aestimatum fuisse, ut reges adeo vniuersique populi honorem hunc sibi expetendum putarent. Ita c) Leuconem Bospori principem,

eiusque

1) Demosth. in Orat. περί συντάξεως p. 173. Ἐκείνοι (διεπρόγονοι ἡμέτεροι) Μένωνι τῷ Φαρσαλίῳ, δώδεκα μὲν τάλαντα ἀργυρίου δόντι, πρὸς τὸν ἐπ' Ἡϊόν, τῇ πρὸς Ἀμφίπολιν πόλεμον, δικαστοῖς δ' ἰσπευθεὶς πένεσταῖς ἰδίῳι βοήθησαντι, οὐκ ἐψηφίσαντο πολιτείαν, ἀλλ' ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον. καὶ πρότερον τούτου Περδίκκῃ, τῇ κατὰ τὴν τοῦ βαρβάρου ποτὲ ἐπιστρατεύειν βρασιλεύοντι Μακεδονίᾳ, τοῦ ἀναχωροῦντος ἐκ Πλαταιῶν τῶν βαρβάρων ἀπὸ τῆς ἡττης, διαφείραντι, καὶ τέλειον τὰ τυχερῶν ποιήσαντι τῷ βασιλεῖ, οὐκ ἐψηφίσαντο πολιτείαν. ἀλλ' ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον, μεγάλην, οἶμαι, καὶ τιμίαν καὶ σεμνὴν τὴν αὐτῶν πατρίδα ἡγοῦμενοι, καὶ πάσης μερίζοντες ἐνεργείας.

a) Soran. in eius Vit.

b) Plut. in Vit. Sol.

c) Demosth. in Orat. in Lept. p. 466. ἀφαιρείται καὶ Λεύκων, τὸν ἄρχοντα Βασπόρου, καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, τὴν ἀρετὴν, ἣν ἡμεῖς ἔδοτ' αὐτοῖς, ἔστι γὰρ γένει μὲν δήπου ὁ Λεύκων ξένος, τῇ δὲ παρ' ἡμῶν ποιήσει πολίτης.

eiusque filios, d) Sitacem, Thraciae regem, e) Euagoram Cyprium et Dionysium Syracusanum et utriusque posteros, f) Rhodios et g) Plataeenses ciuitate donatos fuisse apud Veteres Auctores legimus.

In Decreto vero, de Plataeensibus in ciuium Atheniensium numerum transcribendis edito, quod apud Demosthenem extat, nosque, quae formula in ciuitatis donatione fuerit adhibita, docet, illis ciuium iura hac restrictione fuisse concessa inuenimus, vt iis omnis spes vlla Sacerdotia obeundi aut Nouemuiratum fortiendi praecideretur. Audiamus ipsum de hac re differentem in Oratione contra Neaeram. Ἰπποκράτης εἶπε Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆς δὲ τῆς ἡμέρας, ἐντίμους, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι καὶ μετέναι αὐτοῖς, ὥστε Ἀθηναίους μέτεστι, πάντων, καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων πλὴν εἰ τις ἱερῶσύνῃ, ἢ τελετῇ ἐστὶν ἐν γένους, μηδὲ τῶν ἐνέα ἀρχόντων τοῖς δ' ἐν τούτων. κατανεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους, καὶ τὰς Φυλάς. Cum vero Plataeensibus, viris tam bene de republica Atheniensi meritis, vt ne ipsis quidem Atheniensibus caritate in patriam inferiores essent existimandi, quaedam ciuium iura tanquam indigenis propria fuerint denegata; exinde colligimus, omnes ciues adscriptitios, quamquam omnibus honoribus, priuilegiis et immunitatibus erant donatique, tamen et a muneribus Nouem Archontum ab ingenuis ciuibus tantum administrandis, et a quibusdam sacerdotiis, certis familiis, vt Eumolpidarum, Cerycum et Cynidarum propriis,

d) Phil. in Epistol. ad Ath. Καὶ Σιτάκῳ μὲν ἀποθανόντος, ὃ μετέδοτε τῆς πολιτείας, εὐθὺς παύσασι περὶ τὸν Ἰποκρίναντα φίλιον.

e) Phil. in ead. Epist. Ὑμῖς ἔδοτε πολιτείας Ἐυαγόρῳ τῷ Κυπρίῳ, καὶ Διονυσίῳ τῷ Συρακοσίῳ, καὶ τοῖς ἐκγένοις τοῖς ἐκείνων. Ἰσοκρ. in Evag. Encom. Τὸν δὲ (Ευαγόραν) διὰ πολλὰς καὶ μεγάλας ἐνεργείας, νέμει πολιτὴν ἐπιτείνοντο.

f) Liv. L. XXXI. Polyb. Legat. Eclog. III. Ἀπέδδξαντο δὲ καὶ τοὺς Ρῳδοῖς (εἰ Ἀθηναῖοι) μεγαλομερῶς καὶ τὸν τε δῆμον ἐστεφάνωσαν ἀριστείας στηφάνῳ, καὶ πᾶσι Ρῳδοῖς ἰσοπολιτείας ἐψηφίσαντο.


g) Ἰσοκρ. in Panathenaeic. Οἱ δὲ ἡμέτεροι, Μεσσηνίων μὲν τοὺς διασθενέτας, εἰς Νάξου πᾶντον κατέμισαν. Πλαταιέων δὲ τοὺς παρεγγενομένους, πολιτείας ἐποιήσαντο.

propriis, aut potius, ut nonnulli existimant, ab omnibus sacerdotiis exclusos fuisse. Nec tamen rigida illa Atheniensium in iure ciuitatis concedendo pertinacia, ex prospere gestis eorum rebus orta, semper impedimento fuit, quo minus sequentibus temporibus multi prioribus et natalium splendore et fortunae magnitudine, et meritorum amplitudine longe inferiores, in ciuium numerum referentur. Sensim sensimque vero hoc ciuitatis ius alias tam ardentem expectatum pene pro nihilo putabatur, praesertim eo tempore, cum Athenienses aduersae fortunae malignitatem experti, id h) consilio hoc ducti, ut in loca ciuium ciuitati cladibus variis acceptis ereptorum succederent, inquilinis et peregrinis, promiscue concessissent, adeoque indignis vendidissent. Demosthenes, cuius auctoritas omnium maxima nobis debet et grauisima esse, de hac turpi re deque miserrimo Reipublicae statu aliquo loco i) ita est conquestus: *Nῦν δ', ὡς ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Φθόρου ἀνθρώπους, οἰκότες εἶναι, τιμὴν ὡσπερ ἄλλου τοῦς τῶν ἀνίων, λαμβάνοντες, ποιῶμε πολίτας.* Ita k) Chacerephulus falsamentarius, eiusque l) filii, Phido, Pamphilus, Philippus, Epigenes et Conon, nummularii, et m) Aristonicus Carystius, sphaerista Alexandri magni ciuitate Atheniensi donati fuisse dicuntur. Huic vero rei finem fecit Augustus n), Romanorum Imperator,

E 2

- h) Diod. Sic. L. XIII. Ἀθηναῖοι δὲ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐλαττώμασι περιπίπτοντες, ἐποίησαντο πολίτας τοὺς μετόικους, καὶ τῶν ἄλλων ξένων τοὺς βουλομένους συναγαγεῖν αὐτοὺς.
- i) in Orat. Περὶ συντάξεως. p. 173.
- k) Dinarch. Orat. in Demosth. *Ἐπιπέτε μοι, πρὸς Διδόν, ὡς ἄνδρες, προῖκα τούτων διεθετέ γραψαί Διφιλον τὴν ἐν πρυτανείῳ στήσιν, καὶ τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀναθησομένην ἐικόνα; ἢ τὸ ποιῆσαι πολίτας ὑμῶς Χαίρεφίλον, καὶ Φείδωνα, καὶ Πάμφιλον, καὶ Φίλιππον; καὶ πάνην Ἐπιγένην, καὶ Κόνωνα, τοὺς τραπεζίτας.*
- l) Athen. L. III. *Τσαύτην δὲ Ἀθηναῖοι σπουδῆν ἐποιούνητο περὶ τὸ πάριξος, ὡς καὶ πολίτας ἀναγράψαι τοὺς Χαίρεφίλου τοῦ τραπεζοπόλου υἱός.*
- m) Athen. L. I. *Ἀριστόνικον τὸν Κερύστιον, τὸν Ἀλεξάνδρου σφαιριστὴν, Ἀθηναῖοι πολίτην ἐποίησαν, διὰ τὴν τέχνην. Eustath. ad Odyss. 9'. Τοῦ δὲ ἐξέιν λόγου καὶ τὴν σφαιριστὴν εἶναι, πιστὸς καὶ Ἀθηναῖοι, πολίτην ποιησάμενοι Ἀλεξάνδρου τὸν Κερύστιον σφαιριστὴν.*
- n) Dion. Cass. L. LIV. *Ὁ δὲ Ἀύγουστος Ἀθηναίων τὴν τε Ἀίγλην, καὶ τὴν*

E 66



tor, qui Atheniensibus, ne in posterum ciuitatis ius aliis venderent, interdixit.

Postquam ex Veterum documentis, qualis apud Athenienses ciuium et ingenuorum et δημοιοιτηῶν fuerit conditio, age de eorum diuisione, quantum quidem nostrum institutum patietur, fusius paullo accuratiusque disputabimus. Huius vero diuisionis origo, si quid intelligo, erit a Cecrope repetenda, qui, forma quadam imperii stabilita atque constituta, consilio hoc ductus, vt eo melius iustitiam exercere, fraudibus vero omnibusque artibus, quae in mercatura facienda adhiberi possent, illicitis occurere posset, populum Atheniensem in quatuor Φυλάς vel tribus diuisit, quorum nomina haec fuisse traditum est: *) I) Cecropis, a Cecrope nomen sortita, qui memoriam suam ad posteritatem propagaturus, eamque forte adeo immortalitatis famae commendaturus, haud dubie nulla alia re id melius efficiendum putauit, quam, si, tanquam auctor et conditor Atheniensis regni primam tribum de proprio suo nomine denominaret. II) Autochthon ab Atticis ipsis, qui αὐτόχθονας se esse iactare gloriarique solebant. III) Actaea, sic in honorem Actaei vocata, qui Actam, regionem, postea Atticam nominatam, eo tempore, quo Cecrops, Vir haud contemnendus ex Aegypto huc accesserat, imperio regebat. IV) Paralia siue Maritima, quoniam mari erat vicina. Singulas has tribus in tres subdiuisit partes, quas ternis nominibus idem significantibus τεττυνας, ἔθνη et Φεατείας appellauit, nos vero vno Latino vocabulo Curias nominabimus. Harum denuo singulas in triginta γένη vel familias descripsit, quae, cum triginta constarent hominibus, τριακάδες nominabantur. Qui vero ex vnus tribus parte tertia erant, ὀμογάλακτες siue (si verbum fingere licebit) Collectanei, et γυνήται seu Cognati dicebantur, non, quo genere et sanguine inter se coniuncti fuissent, sed, vt eo indicaretur, eos simul educatos, inque vno eodemque pago viuentes, eandem

Ἐστέρειαν, ἐκαρπούτο γὰρ αὐτὰς, ὡς τινὲς φασιν, ἐφέλαστο, ὅτι τὸν Ἀττικῶν ἐκατόνδασαν καὶ προσέτι καὶ ἀπηγέρουσε σφίσι, μηδὲνα πολιτῶν ἐργασίῳ ποιεῖσαι.

e) Poll. L. III. c. 4. L. VIII. c. 9.

easdem leges colere, communique societatis vinculo contineri. Quid? quod eosdem, quoniam eorundem sacrorum participes, eosdem Deos colebant, *Ὀργεῶνες* dictos fuisse reperimus, ab *Orgiis*, quae, quamuis proprie Bacchi *Mysteria* significant, tamen saepe etiam pro ceremoniis in alterius Numinis cultu usurpatis poni solent. Ut autem et hi, et, qui vel ad vnam eandemque Tribum vel Curiam pertinerent, mutuum commercium eo melius fouerent, eorumque coniunctio in dies magis magisque confirmaretur, solemnia iis festa, in quibus *ρ*) celebrandis laeti hilaresque conuiuia peragerent, primus instituit Solon. Hi vero coetus pro varia conditione eorum, qui ibi conueniebant, varie nominabantur. Si tota enim Tribus eo se conferebat, conuiuium, *δείπνον Φυλετικόν*, sin autem quaedam Curia, tunc *δείπνον Φρατρικόν*; vel si pagus quispian, *δείπνον δημοτικόν* dicebatur. Numerum vero tribuum a Cecrope institutarum, eius successores, solis nominibus immutatis, retinuerunt. Cranao enim regnante, vna a regis nomine Cranaeis, altera a Cranae filia, Atthis, tertia a campestribus Atticae regionis incolis Mesogaea, et quarta denique in confragoso littore sita Diacris sunt dictae. Cranae vero exemplum imitatus Erichthonius easdem, ductis a Ioue, Minerva, Neptuno et Vulcano nominibus, Diadem, Athenaidem, Posidoniadem et Hephestiadem nuncupauit. Posteaquam Erechtheus ad regnum peruenerat, eas nouis et antea non auditis nominibus a filiis Ionis, qui ob gloriam in bello Eleusinio, quo exercituum Atheniensium dux regem mire adiuuerat, partam ab Atheniensibus maximi faciebatur, petitis insigniuit. En tibi eorum nomina: I) *Γελέοντες*, II) *Ὀπλίται*, III) *Διγμορσις*, IV) *Ἀργαῖδες*. In quibus enarrandis *q*) Euripides, *r*) Herodotus et *s*) Pollux amicissime consentiunt atque

E 3

con-

p) Athen. Dipnosoph. L. XV.

q) Eurip. Jon. ad fin.

Λαβύσα τῶνδε παῖδα, Κεκροπίων Χθόνα
Χάρι, Κρέουζα, κ' εἰς ἑρόνους τυραννικοῦς
Ἰατρῶν· ἐκ γὰρ τῶν Ἐρεχθίδεω γένω

Διαικίος

r) Herod. L. V. c. LXVI.

s) Poll. l. c.



conspirant. Horum trium scriptorum auctoritate subnixi, non esse putauimus, quare hic fusius eorum opinionem refellere studeremus, quae Plutarcho ¹⁾, in numero quidem tribuum constituen- do cum illis consentiente, earum vero nomina paullo aliter recen- sente, contendunt, Athenienses a rebus, quibus homines vulgo operam dare soleant, bello, officio, agricultura et pastura, in *ὀπί- τας, ἐργάδας, γεωργούς* et *ἀγροίους* fuisse diuisos. Ad alios igitur ciuium Atheniensium ordines et classes enarrandas atque expo- nendas orationem nostram conferemus. Fuit enim altera ciuium descriptio in *δήμους*, quos, si rei rationem attendas, non inepte vicos dixeris, ante Thesei tempora facta. Id quod ex Plutarchi Verbis elucet, qui, Theseum ^{u)}, rerum potitum, demigrationem ex agris in urbem per singulas gentes populosque instituendam Atti- co populo persuasisse, scribit. Hi vero vici, quas alii *κῶμας*, Athe- nienses vero *δήμους* appellarunt, nihil aliud erant, quam oppidula, quibus Attica terra vsque ad Theseum omnes ex agris Athenas con- uocantem erat frequentata. In quo quidem neminem fore credo, qui putet, ab eo inde tempore vicos illos plane fuisse desertos. Huic enim opinioni adeo non subscribere possumus, vt potius Thucydidis et Demosthenis auctoritatem secuti, eos semper cultos et citium multitudine fuisse celebratos existimemus. Ille quidem, Pelopon- nesii

Δίκαιος ἄρχην τῆς γ' ἡμῆς ὄδῃ Χθονός,
 Ἔσται τ' ἐν Ἑλλάδ' ἐνκλειῆς δι' τοῦδε γὰρ
 Παῖδες γενόμενοι τέσσαρες ἕξῃς μίας,
 Ἐπώνυμοι γῆς, κῆπιφυλλοῦ χθονός
 Λαῶν ἔσονται, ἀνέπειον δι' νείους ἡμέτι.
 Γελέων μὲν ἔσαι πρότερος εἶτα δεύτερον
 Ὀπλιτες, Ἀργαεῖς τ', ἡμῆς τ' ἅπ' Ἀγρίδος
 Ἐμφυλον ἔξουσ' Ἀγικαρεῖς.

t) Plut. in Vit. Sol. Καὶ τῆς φυλῆς εἶσιν δι' ἀγροντες οὐκ ἀπὸ τῶν Ἴωνος οἶον, ἀλλ' ἀπὸ τῶν γενῶν, εἰς ἃ διγρέθησαν δι' βίαι τὸ πρότερον, ἀνομάσθαι τὸ μὲν μάχιμον ἐπίτιας, τὸ δ' ἐργατικὸν ἐργάδας· οὗτοι δὲ τῶν λοιπῶν τελόντας μὲν, τοὺς γεωργούς, ἀγροίους δὲ, τοὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβαταῖς διατρέ- βοντας.

u) Plut. in Vit. Thef.

nessi belli initio, omnes Atticos, Pericle duce et auctore, ex agris, quibus populus ille semper mirifice delectatus fuerit, in urbem compulso fuisse scribit x); hic vero, eandem rem, imminente Atticae terrae Macedonum rege Philippo, paullo ante, quam ad Chaeroneam pugnaretur, repetitam fuisse enarrat. Horum y) vicorum plures ad singulas pertinebant tribus, qui, quamuis in Reipublicae negotiis conserentur coniuncti copulatique, seorsim tamen suas domos habitasse, variosque et diuersos in diuino cultu peragendo ritus et ceremonias obseruasse seruntur. Quid? quod pagorum incolas in Diis colendis inter se tantum discrepasse legimus, vt, quamuis vnanimi omnes consensu Minerua quippe tutelari totius regionis Dea, et vnica supremaque rerum diuinarum humanarumque gubernatrice, ceteros Deos inferiores putarent; singuli tamen peculiarium Numina adorarent, quorum cultum etiam tum, cum Theseus eos eo perduxisset, vt rusticas domos suas cum vrbe mutarent, negligendum sibi et contemnendum adeo non putarunt, vt potius tutelaribus Diis suis eosdem exhiberent honores, eademque, quae antea soliti erant, loca ipsorum colendorum causa adirent. Centum septuaginta quatuor numero Pagi fuerunt, quorum nonnulli cum iisdem nominibus essent insigniti, situs ratione distincti vel superiores vel inferiores dici solebant. Hi omnes vero in maiores et minores diuidebantur, quorum nomina, cum in Strabonis, Pausaniae, Harpocratonis, Stephani, Suidae et Hesychii commentariis z) legi possint, hic consilio praetermittimus, ne otio cuiquam videamur, et litteris abuti. Theseus vero, magni animi summique consilii vir, cum ad regnum peruenisset, melius fore ratus, si, qui Atticae oppida, populos agrosque tum dispersi tenerent, vna vrbe continerentur, statim eos omnes, vt iam supra monuimus, vno senatu, qui omnibus praesflet, lecto, Athenas conuocauit, ibique Democratia instituta, a) lege, vt omnes


ciues

x) Demosth. in Orat. pro Ctesiphont.

y) Pausan. Attic.

z) Sigon. de Rep. Ath. L. I. c. 2, Pott. Archaeol. L. I. c. IX.

a) Plut. in Thest. Οὐ μὲν ἄτακτον ἐνδὲ μειγμένῃ περιεῖδεν ὑπὸ πλείους ἐπιχειρόντος ἀσπίτου γενομένην τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ πρῶτος ἀποκρίνατο χωρίς ἑαυτά.



ciues iisdem iuribus fruerentur, sanxit. Quo facto in tres ordines classesque Athenienses redegit, quarum nomina erant *εὐπατριῶται*, *γεωμοροὶ* et *δημιουργοὶ*. Patriciis curam sacrorum, ius gerendorum magistratum, legum disciplinam et interpretationem reliquit, itaque ut hos dignitate, ita secundos usu, tertios vero multitudinē in ciuitate praestare voluit. Post Theseum vero Solon cum, exploratis ciuium animis, alios Regio, alios Populari, alios Paucorum imperio fauere, diuites vero potentes et superbos, pauperes contra illorum crudelitate oppressos, conditionibus suae miserandae ingemiscentes deprehendisset; statim, omnium discordiarum litiumque componendarum, quantum quidem fieri posset, cepit consilium. Quare Atheniensibus pro cuiusque fortunis in b) quatuor classes reductis, primae eos, quorum facultates quingentis medimnis aut mensuris aridorum et liquidorum censebantur, adscripsit, ipsosque Pentacosiomedimnos vocauit. Hos excipiebant Equites vel *ἵππᾶδα τελούντες*, qui vel equum alere poterant, vel trecentos medimnos possidebant. Quorum census vero ducentos suppeditabat, quique Zeugitae dicebantur, horum tertia classis fuit. Reliquos in vltimam coniectos Thetes vel Proletarios vocauit. Quemadmodum vero Pentacosiomedimni quotannis Reipublicae talentum, Equites semitalentum, Zeugitae vero minas decem pendentes, ad magistratus honores, aliorumque in Republica munerum administrandorum adspirare poterant; ita c) Proletariis nihil conferentibus, ne vllam reipublicae partem capeissent, idem Solon lege inderdixit. Attamen eorum rationibus alia lege consultum cupiuit, qua, ut cum ceteris in concione suffragia ferrent, interque iudices legerentur, iussit. Hoc ius suffragii Proletariis concessum quamuis initio pene nullius momenti esse videretur; tamen cum vni-

cuique

εὐπατρίδης καὶ γεωμόρου καὶ δημιουργοῦ, εὐπατρίδης μὲν γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ παρέχειν ἕκαστος ἀποδοῦναι, καὶ νέμων διδασκάλους εἶναι, καὶ δεῖον καὶ ἰερὸν ἐξηγγῆσθαι τοῖς ἄλλοις δὲ πολιταῖς ὥσπερ εἰς ἴσον κατέστησε δόξην μὲν εὐπατρίδῶν, χρεῖα δὲ γεωμόρων, πλεῖσσι δὲ τῶν δημιουργῶν ὑπερέχειν δοκούντων.

b) Plut. in Solon.

c) Plut. in Solon. Poll. L. VIII. c. X.

cuique a Magistratum iudiciis ad populum in concione congregatum prouocare liceret, id haud paruae utilitatis fuisse experientia luculentissime docuit. Hoc vero modo ac ratione, potentia quidem et iure magistratum gerendorum diuitibus concessio, tamen sapientissimus legislator impediuit, quo minus plebs illorum iniuriis crudelitatisque obnoxia, adeoque omnium in Republica partium expers esset. Cum autem neque nimiam immoderatamque populo licentiam libertatemque concessisset, neque eam nimis angustis limitibus circumscripsisset, in eo haud dubie consilium secutus est hoc, vt populum non contumacem et effrenatum, sed obedientem dictoque audientem haberet. In quo postea contententem sibi habuit Galbam, Imperatorem Romanum, qui, Pisonem, vt populum Romanum benigne liberaliterque tractaret, adhortatus dixisse fertur: *Imperaturus es hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Haud parum vero voluptatis ex hac ciuium exaequatione Solonem ipsum cepisse, ex verbis colligendum videtur, quibus illam celebrauit.

Δῆμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κέρτος ὅσον ἐπαρκῆι,
 Τιμῆς οὐτ' ἀφελῶν, ἔτ' ἐπαρξάμενος.
 Οἱ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χεῖμασιν ἦσαν ἀγῆτοι,
 Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικῆς ἔχειν.
 Ἔστιν δ' ἀμφιδάλων κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι
 Νικᾶν δ' οὐκ εἶας' οὐδέτερος ἀδικῶς.

Quod vero diximus, Proletarios ab omnibus publicis muneribus administrandis fuisse exclusos, id tantum de tempore, quo Solon vixit, intelligendum capiendumque volumus. Eo enim trisili fato rebus humanis erepto, plebs Atheniensis cum in cruentis calamitosisque illis aduersus Persas bellis, fortiter pro libertate defendenda dimicasset, prospero rerum successu elata et praeterea seditiosis Demagogis et Oratoribus excita, efflagitauit hoc, vt, sublato inter Proletarios et ceteros Athenienses discrimine, ^{d)} omnes ad magistratus capeffendos promiscue admitterentur. Plebs vero ^{e)} decreto, quo ad supremos

d) *Aristot.* Polit. L. II, extr.

e) *Plur.* in Aristid.



premos honores aditus ei aperiebatur, adeo non usus est, ut potius optimatibus f) magistratus, penes quos summa reipublicae erat, relinquendos putaret. In numero vero ordinum a Solone institutorum tradendo cum Plutarchus, g) Aristoteles h) et Pollux i) consentiant et pulcherrime conspirent; hic neque Scholiastes Aristophanis, qui tres duntaxat classes ponit, neque Harpocratio, k) qui duas tantum fuisse contendit, nec denique Suidas, qui classes quinque numerat, audiendi mihi videntur. Clisthenes vero, qui, pulis Pisistratidis, cum Ilagora ciue potentissimo de principatu certauit, popularique imperio, Pisistratidarum tyrannide funditus euerla, pristinam dignitatem reddidit, cum alia multa tum veterum trium numerum et nomina immutauit. Consulto enim Apollinis Oraculo, l) Athenienses in decem tribus diuisit, quibus nomina a quibusdam Heroibus, qui omnes, excepto Telamonis filio, Aiace, in Attica erant nati, ducta indidisse fertur. Triuum a Pausania et Polluce frequentia recensentur nomina: Cecropis, Erechtheis, Pandionis, Aegeis, Oeneis, Acamantis, Leonis, Hippothoontis, Antiochis et Aiacis. Heroibus vero illis a nomine Tribubus imponendo Eponymis dictis iuxta Curiam statuatae fuerunt erectae. Ceterum Clisthenes in his tribubus subdiuidendis modum iam antea obseruatum ita retinuit, ut earum quamlibet in curias, singulas autem curias in aliquot gentes displiceret. Quanquam quidem nonnulla harum gentium nomina hic illic apud veteres auctores m) commemorantur; tamen, de numero, quo et curias et gentes Clisthenes esse uoluerit, nihil certi pronunciare audeo. Tantum est de ea re apud Auctores silentium. Populos vero ab eodem Clisthene in singulas denas tribus, quarum nomina in Pausaniae, Harpocratiois, Suidae aliorumque commentariis extant, fuisse descriptos Herodotus nos docet. Iam

f) Xenoph. de Republ. Athen.

g) Plut. in Solon.

h) Aristot. polit. L. II. c. X.

i) Poll. L. VIII. c. X.

k) Harpocrat. in *ἰσθῆς*.

l) Poll. et Herodot. l. c. Homer. Iliad. β.

m) Demosth. in Orat. contr. Neaer. Plut. in Thest. Alcib. Andocid. et Lycurg.

Iam ad Antigonum et Demetrium peruenimus, qui, liberatis a Macedonia seruitute Atheniensibus, priori Tribuum numero duas adhuc addiderunt, quae in libertatis vindicam honorem Ἀντιγώνῳ et Δημητρίῳ sunt ⁿ⁾ dictae. Cum vero Athenienses, vt sit, non nisi his, qui bona prosperaque fortuna fruerentur, gratum animum suum significandum putarent; duobus his Principibus fortunae inconstantiam expertis, statim prioribus harum tribuum nominibus immutatis, eas in honorem Attali, Pergami Regis, et Ptolemaei, Regis Aegypti, a quo vtroque Athenienses eximius beneficiis fuerant adiuti ornatique, Attalidem ^{o)} et Ptolemaidem nominarunt. Atque hic Atheniensium Tribuum numerus, quamdiu suam tutata est libertatem ciuitas formamque Reipublicae, remansit. Restat, vt pauca adhuc de praefectis Tribuum, curiarum et populorum eorumque munere addamus. Tribuum praefecti initio, vt opinor, nominabantur Φύλαρχοι, qui deni a Clisithene, vt Herodotus scribit, vt a populo crearentur, erant instituti. Posteaquam vero ad rei bellicae administrationem erant transducti, omnem tribuum curam susceperunt ii, qui ἐπιμεληταὶ Φυλῶν, id est, tribuum curatores appellabantur. His id officii constat fuisse negotiique datum, vt publici aerarii, quod ad singulas tribus pertineret, curam gererent, omnibus ipsarum commodis prospicerent, easque, si quid accidisset, quod vniuersi tribus coetus praesentiam exigeret, conuocarent. Quod autem ius in Tribubus Phylarchis aut tribuum curatoribus competebat, idem in curiis Φεατείαρχοι siue curiarum praefecti videntur exercuisse. Quorum meminit Pollux, Harpocraton, et praecipue Demosthenes in Oratione contra Ebulidem. Hic quadam veritatis specie Sigonii, Viri, quemadmodum de Romana, ita de Graeca et Atheniensium inprimis republica optime meriti opinio sese commendare videtur, qua etiam gentium Curatores fuisse contendit. Et quanquam fortasse sunt, quibus haec res mira, insolenterque quodammodo a Sigonio disputatum videri possit, tamen neminem in admittenda hac opinione tam difficilem perpugnacemque fore puto, quin nobis concedat,

F 2

cum

n) Plut. in Demetr.

o) Leg. Stephan. Voc. Ἀττάλις et Βερενικίδα.



cum gentium quoddam consilium fuerit, vt etiam curatores haberent, quodammodo necesse fuisse, qui curiarum praefectis responderent, gentium negotia administrarent, easque conuocarent. Populis vero seu δήμοις praeerant Δημαρχοι a Clisthene eo, qui populos in tribus distribuit, instituti. His non est dubium, quin ea provincia fuerit et cura demandata, vt descriptiones fundorum, qui in singulis populis essent, conficerent, tabulas lexiarchicas custodirent, populos, re postulante, conuocarent, electionisque Senatorum, aliorumque magistratum, qui sorte creabantur, praessent. Interdum Ναυραχέως P) eos, pagosque Ναυραχίας nuncupatos reperimus, quoniam eorum singuli, praeter duos equites, vnā nauem in publicum commodum suppeditare debebant.

De Inquilinis.

Posteaquam de ciuibus et ingenuis et adscititiis eorumque diuisionibus exposuimus, (de qua re an grauer latis disputauerimus, minime nostram est interpretari) age ad secundum terrae Atticae incultarum, qui πέτρινοι siue Inquilini appellabantur, genus progredimur. Quemadmodum vero omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re, disputationis leges cuique imponunt hoc, vt ea ab ipsius vocis explicata notione rei que definitione proficiatur, vt intelligatur, quid sit, de quo disputetur; ita nobis de Inquilinis disputaturis, relictis omnibus, id agendum esse intelligo, vt, quae voci Inquilinorum vis fuerit potestasque subiecta, est non subtiliter, dilucide tamen tradamus, omnemque vocis ambiguitatem erroremque ex hac Commentatione sublatum proseribamus. Quod quidem eo curiosius faciendum arbitramur, quo facilius vel cum Ciuibus ipsis, vel cum Peregrinis confundi possunt. Cum huius vocis Etymologiam alii aliter interpretari soleant; inter omnes de hac re opiniones ea prope verum esse mihi videtur, qua Voslius a) hanc vocem ab incolō deducendam esse credit, quasi incolinus, c in q abeunte. Inquilini vero

p) *Porr. Archaeol. L. I. c. 14.*

a) *Etymol. sub Colo p. 174.*

vero Athenis dici haberique solebant, qui e peregrina aduenientes
 regione, sedemque suam in Attica figere cupientes, a Consilio Areo-
 pagitico admissi in publicas incolarum tabulas referebantur. Quam-
 vis igitur Athenis domicilium constituisent suum, tamen, cum ne-
 que ingenui Athenienses essent, neque eorum iuribus fruerentur,
 longe a πολιταις differebant. Cum peregrinis vero, qui ad breue
 tantum tempus Athenis commorabantur, minime sunt confundendi
 μετοικαι, qui fixum habentes domicilium, eo loco, in quem sese con-
 tulerant, perpetuo degere amabant. Pendebant Inquilini quotannis
 tributum, quod μετοικιον vocabatur, hac tamen differentia, vt b)
 Viri duodecim drachmas, feminae vero, filiis superstibus, nihil,
 filiis autem orbatae sex drachmas persoluerent. Et hoc vestigal
 non solum ab iis, qui Athenis habitabant, inquilinis, sed etiam ab
 omnibus, qui in vlla Atticae vrbe sedem fixerant, exigebatur. Id
 quod ex aliquo c) Lysiae loco apparet, vbi dicit: *Συσπενασάμενος*
γὰρ τὰ ἑαυτοῦ ἐνθάδε, εἰς τὴν ὑπεροσίαν ἐξώκησε, καὶ ἐν Ὠρωπῷ με-
τοίκιον κατατιθεὶς, ἐπὶ προστάτου ὄκει. Oropus vero vrbs erat Athe-
 niensis in Boeotiae confinis sita. Sic etiam, si quid intelligo, ca-
 piendus erit locus Scholiae Sophoclis ad Oed. Tyr. *Μεταφέρει*
ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς πόλεσι ξένων τελόντων τὰ μετοίκια. Eo autem tem-
 pore, quo Xerxes Graeciam inuasisse constat, cum rebus suis praec-
 elare gestis magnam famam gloriamque sibi comparasset Themistocles,
 Athenienses eo produxit, vt Inquilinos tributo iis remisso,
 suis priuilegiis frui paterentur. Hic vero, cum magnum sit apud
 Veteres de hac re silentium, difficilis quaedam, neque ab vlllo, quod
 ego quidem scio, expedita, oritur quaestio, quamdiu illi hac immu-
 nitate fuerint gauisi. Ego quemadmodum nihil, nisi quod aliqua
 certe Veterum auctoritate confirmari possit, audeo affirmare, sic in
 hac re, quoniam ne minima quidem eius vestigia Auctoris cuius-
 dam monumentis impressa deprehendisse mihi sum visus, lubricum
 puto maximeque delicatum, ad openi coniecturarum decurrere.
 Illud quidem pro certo affirmare non dubito, per breue tantum
 F 3 tempus

b) Poll. L. III. c. 4.

c) Orat. in Phil.



tempus hanc immunitatem Inquilinis fuisse concessam, et fortasse eam, simul ac Atheniensium favore Themistocles excidisset, ablatam, decretumque de hac re conceptum abolitum fuisse. Quarenti autem ex me, vtrum haec liberalitas saepius Athenis sit repetita, nec ne, me id ignorare, ingenue responderem. Pro tributo illo quamvis iis aut Athenis aut alio Atticae loco habitare liceret; tamen nullis publicis muneribus fungi, nec suffragium in concionibus ferre, nec vlllo modo Reipublicae negotiis sese immiscere poterant, sed iis impositum erat hoc, vt patienter decretis a Ciuibus factis se subicerent, omnesque regionis leges ac consuetudines obseruarent. Hinc Aristophanes apud Suidam eos tanquam inutilia Reipublicae pondera, paleae comparat, vbi dicit:

Τους γὰρ Μετόικους ἀχρεὰ τῶν ἀστῶν λέγει.

Cum igitur nullum negotium proprio nomine obire possent, lege erat sancitum, vt e ciuibus, d) quem vellet, sibi Patronum eligerent, qui pro iis *μετοίκιον* solueret, eosque tanquam curae, fidei patrocinioque suo commissos, ab omni fraude ac vi tutos securosque praestaret. Hoc in Terentio e) edocemur, vbi Thais sese Phaedriae familiae commendat:

— *Ch. Tum autem Phaedriae,*

Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo, vna est domus,

*Thais patri se commendauit, in clientelam et fidem
Nobilis dedit se.*

Hic vero, cuius curae sese concredebant Inquilini, *προστάτης* dicebatur, cui varia ab illis officia exigere licitum erat. Quae si non rite praestiterant, vel patronum eligere neglexerant, vel tributum non soluerant, aduersus hos actio, quae f) *ἀπροστασίου δίκη* appellata apud Polemarchum instituebatur, dari solebat. Inquilini, g)

d) *Ἱεροκράτ.* in *Προστάτης*. *Prät.* Comment. in Leg. Att. p. m. 171.

e) *Terent.* Eunuch. Act. vlt. Scen. vlt.

f) *Poll.* L. III. c. 5.

g) *Suid.* in *Voc.* *πρόστατης*.

qui se in eligendo patrono negligentem fuisse, erat conuictus, bona aerario adjudicabantur. Sin autem ob tributum non solum a Cenforibus comprehensus in ^{h)} μετόικιον siue ⁱ⁾ παλητήριον τοῦ μετοικίου forum huic vlti destinatum, fuerat abductus, ibi, bonis eius, nisi soluere poterat, publicatis, a παληταῖς, qui publicis redivitibus erant praefecti, vendebatur. Cenfores vero in hac muneris sui parte exercenda tam rigidos se praebant, vt parum abesset, quin adeo celebr ille Philosophus, Xenocrates, qui paupertate impeditus tributum non tulerat, hoc triste fatum subiisset, nisi e manibus illorum publicanorum, tributo soluto, eum, Plutarcho ^{k)} auctore, liberasset Lycurgus. Hic vero non defuturum vnum et item alterum esse intelligo, qui Diogenis Laertii ^{l)} auctoritatem secutus dicat, Xenocratem reuera publice venditum a Demetrio Phalereo fuisse redemptum, qui, quamvis ciuitatis leges violare noluiisset, tamen tanti Viri miseria commotus, pretio exacto Cenforibus persoluto, illi libertatem reddidisset. Et profecto non video, quomodo hae duae plane inter se discrepantes sententiae commode componi conciliarique possint, nisi ex verbis ipsius Xenocratis, qui ad filios Lycurgi aliquando dixisse fertur hoc: *Reddidi patri Vestro, quod in me contulit, beneficium; qui enim me videt, eum maximis laudibus condecorandum putat*, colligere mihi liceat, hoc loco Plutarcho maiorem quam Diogeni fidem esse habendam. Iam vero, nisi graecarum litterarum expertes dici nos haberique velimus, contendamus necesse est, μετόικιον non ab omnibus Inquisitis solum fuisse, sed saepe eos, qui insigni aliquo facto omnium oculos in se conuerterant, beneque de republica erant meriti, vt ab hoc tributo, ita ab omnibus aliis vectigalibus, iis tantum, quae ab ingenuis Atheniensibus exigebantur, exceptis, immunes ^{m)} Plebiscito fuisse declaratos. Hic immunitatis honor *ισοτέλεια*, ii vero, in quos erat conlatus, *ισοτελής* vocabantur, quia *ἴσα ἐτέλων τοῖς ἀστοῖς*, aequalem cum ciuibus partem per-


h) *Plut.* in Flamin.

i) *Demosth.* Orat. I. in Aristogit.

k) *Plut.* in Lycurg. et in Flamin.

l) *Diog. Laert.* in Xenocrat. Vit.

m) *Suid.* *ισοτελής*.



soluebant. Haec vero *ισοτέλεια*, mea sententia, non diuersa fuisse videtur ab *ἀπέλσεια*, iam supra commemorata, quam Athenienses iis concedere solebant, qui, quamuis de Republica bene essent meriti, tamen tam insignem ipsi haud praestiterant operam, vt numero ciuium adscribi possent. Ob haec autem singularia iura Inquilinis concessa, varia etiam ipsis peragenda officia Respublica imposuerat. Quorum vt vnum tantummodo exemplum afferamus, moris fuisse traditur consuetudinisque hoc, vt in Panathenaeis, festo in honorem Mineruae celebrato, ⁿ) Viri veste punicea induti certa quaedam vasa, quae *σκάφαι* dicebantur, mulieres ^o) vero *ὕδρεια* vel *σκιάδια*, quibus a matronis virginibusque, quibus ius ciuitatis erat, solem arcerent, summo cum silentio, quo ^p) ne hiscere quidem iis licebat, gestabant. Hinc Viri *σκαφηφόροι* ^q) vel a Comiciis *σκαφεῖς*, ^r) mulieres vero *ὕδρειαφόροι* et *σκιαδηφόροι* appellantur. Hic vero mos post Xerxem et Persas e Graecia fugatos, vbi Athenienses prospero rerum successu turgidi atque inflati insolescere coeperant, ortus introductusque videtur. Non praetermittendam hic esse puto contro- versiam, quae ex locis Harpocratonis et Pollucis laudatis oriri vide- tur, quorum alter ab Inquilinorum filiabus, alter ab vxoribus in illa solennitate vrceos vel umbellas portatas fuisse contendit. Ad Aeliani ^s) auctoritatem igitur confugiamus necesse erit, quem exci- tabimus

- n) Hesych. Σκαφηφόροι, οἱ μέτοικοι ἕως ἐκαλοῦντο. σκάφαι γὰρ ἔφερον ἐν Παναθηναίαις, ἵνα ὡς εὖνοι ἀριθμῶνται ἐν ταῖς θυραῖαις.
- o) Poll. L. III. c. IV. Σκαφηφόροι, οὗτοι δὲ τοὺς μετοίκους ἀνέμμεζον. καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, ὕδρειαφόρους. ἀπὸ τοῦ ἔργου ἐκείνων. Harpocrat. in Σκαφηφόροι. Προσέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκους ἐν ταῖς θυραῖαις, αὐτοὺς μὴ σκάφαις φέρειν. τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὕδρεια καὶ σκιάδια.
- p) Diogenian. Cent. VIII. Prov. XII. Συστομώτερος σκάφης. ἐπὶ τῶν ἀπαρ- ηγιάστων. ἀπὸ τῶν τὰς σκάφαις μεταφέρωντων ἐν ταῖς πομπαῖς. Zenob. Cent. V. Prov. XCV. Συστομώτερος σκάφης. παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς σκάφαις φερόντων μετοίκων. διὰ τὸ ἀπαρρησίαστον, οἷς οὐδὲ χανεῖν ἐφεῖτο.
- q) Apostolius. Καὶ ὅποτε δὲ ἐβούλοντο μετοίκων ἀγλάσαι, ἢ σκάφην ἔλεγον, ἢ σκαφηφόρον.
- r) Harpocrat. in Μετοίκων. Ἐμίλλον δὲ οἱ Κομικαὶ σκαφῆς τοὺς μετόικους, ἵνα ἐν ταῖς πομπαῖς τὰς σκάφαις ἐκείρων οὗτοι.
- s) Ael. Var. Hist. L. VI. cap. I.

tabimus ita, vt lites horum virorum iudex componat. Ἀθηναῖος, scribit, εὐτυχίας λαβόμενοι, τὴν εὐπραγίαν σωφρονίας αὐτῶν ἠνεγκαν τὰς γούν παρθένοῦ τῶν μετόικων σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς ἠνάγκαζον ταῖς ἑαυτῶν κόραις, τὰς δὲ γυναῖκας ταῖς γυναῖξι, τοὺς δὲ ἀνδρας σκαφηφορεῖν. In interpretanda vero σκαφῶν voce valde dissentiunt et inter se discrepant Potterus ^{t)} et Meursius ^{u)}, Viri, quorum quis magis de litteris Graecis sit meritus, haud facile erit diiudicare. Meursius quidem hanc vocem per ligones reddit; Potterus vero eam ita interpretatur, vt dicat, σκάφας illas, nauiculas fuisse, quarum circumgestatione Inquilini ἰσοτελεῖς, se non esse inter ingenuos Athenienses referendos, sed naui e terra peregrina ad- vectos fuisse, declarare voluissent. Quamuis quidem non ita arrogans sum et insolens, vt de interpretatione Meursii, tanti Viri, quicum neque ingenio sum, neque doctrina vlllo modo comparandus, eleganter iudicare me posse credam, aut ita inhumanus, vt, cuius eruditionem soleo, accuratamque disputandi diligentiam admirari, eius sententiam audeam, iudiciumque reprehendere; tamen non esse putem, quare a recepta vsuque confirmata τοῦ σκαφη significatione in interpretando hoc ritu in Panathenaeis ab Inquilinis obseruato recedam, praesertim, cum Meursii interpretatio non graui satis idoneaque auctoritate Veterum stabilita esse, Potteri vero opinio e ratione Inquilinorum conditionis ducta, maiori veritatis specie sese nobis commendare et probare videatur.

De Seruis.

Postquam de duobus incolarum Atheniensium generibus exposuimus; iam officii, partiumque mearum esse puto, vt etiam in Seruorum conditione describenda atque explicanda ingenii mei qualiscunqve vires experiar. Athenis vero seruorum duo genera fuisse traditum est; primum eorum qui fortunae inconstantiam experti atque ab inopia vexati, quamquam liberi et nati ciues Athenienses erant,

t) *Pott. Archaeol. Graec. L. I. c. X.*

u) *Meurf. Att. Lect. L. IV. c. IX.*



erant, feruire cōgebantur. Quamuis enim, vt supra docuimus, omnes ingenui ciues Athenienses rempublicam capessere possent; plurimis tamen ob inopiam aditum ad honores consequendos, muneraque publica obeunda fuisse interclusum apud Veteres auctores legimus. Sic Plutarchus, a) ciuium duodecim millia a reipublica administratione Phocionis tempore remotos fuisse enarrat. Tales autem, flante reipublica, censebantur, b) quorum facultates infra quinque talenta essent. Antipater autem postquam vrbe erat potitus, vt, qui ad reipublicae munera administranda adspirare vellent, drachmarum saltem duo millia, id est, talenti vnius trientem haberent, constituit. Hoc Antipatri decretum neminem scio, qui melius accuratiusque nobis exponere possit, Diodoro Siculo, c) cuius locum est paulo longiorem quid impedit quo minus ad rem praesentem transferam? Is igitur de hac re ita disputat: Οἱ δὲ δῆμος, οὐκ ἂν ἀξιομαχος, ἠναγκαῖα δὴ τὴν ἐπιτροπὴν, καὶ τὴν ἐξουσίαν πάσαν, Ἀντιπάτερῳ δοῦναι περὶ τῆς πόλεως. ὁ δὲ, Φιλανθρωπῶς αὐτοῖς προσερχθεὶς, συνεχώρησεν ἔχειν τὴν τε πόλιν, καὶ τὰς κτήσεις, καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὴν δὲ πολιτείαν μετέστησεν ἐν τῆς δημοκρατίας, καὶ προστάξεν ἀπὸ τιμῆσεως εἶναι τὸ πολιτεύματι· καὶ τοὺς μὲν κεντημένους πλείω δραχμῶν διαχιλίων, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος, καὶ τῆς χειροτονίας· τοὺς δὲ κατωτέρω τῆς τιμῆσεως, ἀπαντας, ὡς ταραχώδεις οὖτας, καὶ πολεμικοὺς, ἀπήλασε τῆς πολιτείας. Cassander vero, censu illo ad dimidiam partem diminuto, vt, qui reipublicae administrandae participes esse vellent, saltem decem minas, id est, drachmas

- a) Plut. in Phoc. Vit. Τῶν δὲ ἀποβιβασθέντων τοῦ πολιτεύματος διὰ πέντων, ἑπὲρ κυρίους καὶ διαχιλίουσ γενομένων, οἱ τε μένουςτες ἐδοκον σχέλια καὶ ἄτμια πάσχειν.
- b) Herimogeu. Εμπέπτως δὲ ἐνταῦθα καὶ δεύτερον τι, ὡς παραγραφικὸν ὄιον, οὐκ ἔχον τὰ πέντε τάλαντα, οὐ δύναται λέγειν. Ad quem locum Marcellinus. Πανδύτης ἔχεται τὸ λεγόμενον· οὐ γὰρ δὴ ἰσχυρὸν, οὐδὲ θρηνητικὸν, τὸ παραγραφικόν. ἐν τῆς παραβολῆς δὲ παραγράφεται, λέγων· ὅτι οὐκ ἔξεστι σοι πολιτεύεσθαι, μὴ ἔχοντι τὰ πέντε τάλαντα. Et mox: Ἐστὶ δὲ παραγραφικὸν τοῦτο τοιοῦτον. οὐκ ἔχον, φησὶ, τὰ πέντε τάλαντα οὐ δύνασαι λέγειν. ὁ γὰρ νόμος κωλύει σε λέγειν, εἰδένῳ ἔχοντα τῶν πέντε τάλαντων.
- c) Diod. Sic. L. XVIII.

drachmas mille possiderent. Diodorus enim, ^{d)} loco adducto, ita pergit: Γενομένων δὲ πλείονων ἐντεύξεων, συνέθεντο τὴν εἰρήνην, ὥστε τοὺς Ἀθηναίους ἔχειν τὴν πόλιν τε καὶ χώραν, καὶ προσότους, καὶ ναῦς, καὶ τὰλλα πάντα, φίλους ὄντας καὶ συμμαχοὺς Κασσανδρῶν τὴν δὲ Μουνησίαν κατὰ τὸ παρὸν κρατεῖν Κασσανδρῶν, ἕως ἂν διαπολεμήσῃ πρὸς τοὺς βασιλεῖς· καὶ τὸ πολίτευμα διοικεῖσθαι ἀπὸ τιμῆσεων ἀρχῆς μιν δέκα. Civis igitur omnes, facultatibus ad censum illum necessariis destituti non solum eo usque, dum fortuna iis arrisisset, ab omni omnino reipublicae administratione removebantur, sed interdum etiam eo adigebantur, ut mercede conducti servitutem subirent. Hi vero ^{e)} proprie Θῆτες et Πελάται dicti. Quoniam vero tantum pro lubitu, vel quamdiu res ipsorum domesticae id exigebant, serviebant, et simulac propriis facultatibus vitam sustentare valebant, liberare se servitute poterant; eorum conditio longe melior aliorum servorum statu putabatur, qui vel bello capti vel emti dominorum suorum arbitrio plane erant commissi. Cum vero horum conditionem tam diversam fuisse inveniamus, ut Athenis mitius liberaliusque quam in aliis Graeciae urbibus tractarentur, non possum, quin brevitatis quasi fines, quibus includere hanc Disputationem constitui, transgrediar, inque illa utraque exponenda paullo diutius inhaeream. Tam acerbe vero Graeci saepe cum servis suis agere solebant, ut eorum liberos homines vlla in re imitatorum, eosque vel ornatu vel moribus relatorum impudentiam nullo modo ferendam, sed potius severissime puniendam castigandamque putarent. In iis igitur Graeciae civitatibus, ubi moris erat consuetudinisque hoc, ut coma aleretur, servus, si comam aleret, crimen nullo modo expiandum commississe existimabatur. Haec vero res proverbio adeo increbuerat, ut Aristophanes ^{f)} de eo, qui indecori quid fecerat, diceret:

Ἐπειτα δῆτα δούλος ὦν κόμην ἔχεις;

G 2

Servū

d) sub fin. eiusd. libr.

e) Poll. L. III. c. 3.

f) Aristoph. in Auib. p. 564. ed. Amstelod.



Servi vero peculiari tondebantur more, qui *θειξ ἀνδραποδάδης* vocatus, iis, donec libertatem recuperarent, erat seruandus. Quid? quod eos vestitus ratione ita a liberis distinctos fuisse nobis Pollux ^s) tradidit, vt hi *ἀμφιμασχάλοις*, illi vero *ἐτερομασχάλοις* vterentur. Mos erat in tota pene Graecia receptus introductusque hic, vt summi sapientissimique adeo viri execrando detestandoque illi puerorum amoris indulgere adeo non dubitarent, vt potius, nescio, qua peruersa iudicandi ratione inducti, eum neque legibus repugnare neque bonis moribus aduersari, sed hominem liberali educatione vsum maxime decere putarent. Satis noti sunt Socratis, Platonis Solonisque amores. Hic vero seruos voluptate ex puerorum amore capienda tam indignos putauit, vt iis peculiari ^h) lege ingenuorum puerorum amorem interdiceret, qua vero, vt, quid sentio, dicam, bonis seruorum moribus magis consuluisse, quam obstitisse videtur. Eademque lege eos vnguenta sumere et Passillos olere prohibuit, ratus, haec elegantioribus et delicatulis tantum hominibus esse relinquenda. Seruum vero in puerorum amore deprehensum, quinquaginta verberibus publico vrbis flagello acceptis, huius amoris poenas luisse Aeschines ⁱ) refert. Vinum ^k) quoque prohibebantur serui bibere, nisi primo Anthesteriorum die, qui *Πιθογυγία* dicebatur. Ad nonnullorum vero Deorum cultum accedere seruis adeo non licebat, vt potius praesentia sua iram Deorum concitare, eorumque sacra polluere existimarentur. Sic a sacris Eumenidum ^l) aut Furiarum eta Thesmophoriis ^m) erant exclusi. Et quanquam in iudiciis ⁿ) testes esse

g) Poll. Onom. L. III. c. 15.

h) Plur. in Solon. Vit. καὶ νόμον ἔγραψε, διαγερθέντα, δούλον μὴ ζυγαλοφείν, μηδὲ παιδεραστέιν. Marcellin. in Hermog. Δούλον ἐλευθέρου παιδός μὴ ἔρᾶν. Plur. in Amator. Καὶ Σόλων δούλοισι μὲν ἔρᾶν ἄρῆεναι παίδων ἄπειπε, καὶ ζυγαλοφείν.

i) Aeschin. in Timarch. Πάλιν ὁ αὐτὸς αὐτὸς εἶπε νομοθέτης, δούλον ἐλευθέρου παιδός μὴ ἔρᾶν, μήτ' ἐπαυλοφείν, ἢ τύπεσθαι τῇ δημοσίᾳ μάστιγι πενήκοντα πληγῶν.

k) Procl. ad Hesiod. Ἔργων. L. I.

l) Phil. Libr. περὶ τοῦ πάντα σπουδαίων εἶναι ἐλευθέρων.

m) Euripid. ap. Aristoph. in Thesmoph.

n) Terent. in Phorm. Act. II. Sc. I.

esse non poterant; tamen per ^o) tormenta, quae in ^p) ciuibus nunquam adhiberi poterant, ex iis veritatem extorquere licebat. Cuius autem non raro accidisset, ut talis miserandus homo tormentis encaretur aut mutilaretur; qui seruum in quaestionem postulabat, (haec autem postulatio *περώλησις* dicebatur) pretii, quo seruus aestimabatur, ^q) fideiussores dare tenebatur. Quemadmodum vero serui in perpetuo seruitio occupati, impediabantur, quo minus artibus liberalibus operam dare possent; ita inprimis nulli eorum ^r) artem medicam discere concessum erat. Nihilominus tamen quidam fuerunt, quos a natura ingenii dotibus egregiis instructos, haud parum in bonis litteris profecisse constat. In his, mea sententia, eminerunt inprimis pauper ille et deformis Aesopus, Poeta ^s) Alcman, et celebris ille Ethicus Philosophus, ^t) Epictetus. In nominibus vero seruis imponendis tam morosi Graeci fuerunt, ut eos nominibus vel liberorum suorum vel virorum dignitate et honoribus conspicuorum insignire contumeliosum putarent. Duo de hac re Decreta adhuc extant, quorum altero, ^u) ne quis vlli ex seruis suis Harmodii et Aristogitonis, qui tanquam fortes patriae defensores magna virtute Pisistrati filiorum conatibus resisterant, nomina imponeret, altero vero, ^x) ne ludorum solennium nomina seruis darentur, cautum erat. Maxima vero seruorum pars a patria sua nomen fortiebatur. Athenis maxime vulgaria nomina fuisse videntur Geta et Daus, a Getis et Dacis desumpta, quos antea Dauos nuncupatos fuisse Strabo existimat. Attamen ^y) manumissi saepe seruile nomen mutarant. Graeci vero inprimis id curasse videntur, ne serui, qui pene vbique ciues vices numero excedebant, arma gererent. Quare seruos non

G 3 nisi

o) *Aristoph.* Ran. Act. II. Sc. VI. in *Plut.* Act. IV. Sc. III.

p) *Lys.* Orat. in Agorat

q) *Demosth.* Orat. adv. Pantacenet.

r) *Hygin.* Mythol. c. 274.

s) *Aelian.* Var. Hist. L. XII. c. LXXIII.

t) *Anthol.* L. III. c. 33.

u) *Liban.* in Apol. Socrat.

x) *Atben.* Deipnosoph. L. 13.

y) *Antholog.* L. II. c. 47. epigr. 38.



nisi his temporibus armatos inuenimus, vbi omnes aliae Reipublicae seruandae viae erant praecclusae. Primum id ab Atheniensibus factum est, cum Persae, z) Duce Dario, Athenienses aggressi, apud Marathonam victi fugerentur. Haud dubie vero seruorum conditionem belli tempore paulo meliorem fuisse, e lege a) illa apparet, qua non solum ne quis seruum belli tempore verberaret, iubebatur, sed etiam ei, qui seruum verberasset, vt eum manumitteret, imponebatur. Hoc vero Athenienses non impedire potuerunt, quo minus interdum serui sui vel egregiae opportunitatis illecebris allecti, vel spe libertatis recuperandae inuitati, vel denique grauissima dominorum vexatione ad desperationem vsque redacti, vi et armis seruitutis vincula, quocumque esset pretio, perrumpere conarentur. Quemadmodum enim in Attica b) Castellum Sunium inuasisse, totamque regionem depopulati fuisse dicuntur; sic etiam alios vindicandae libertatis conatus ab ipsis summo cum periculo adhibitos reperimus, quos vero hic enumerare nec iuuat, nec vacat. Belli temporibus ad hostes saepius transfugere solebant. Id quod c) *αὐτομολεῖν* vocabatur. Cum enim plerumque nulla alia a seruitute se liberandi via suppeteret, hoc crimine, praeter furtum, nullum a seruis crebrius perpetratum fuisse fertur. d) In vtroque vero deprehensi tam atroces poenas debebant persoluere, vt rotae adligati crudelissime caederentur. In plurimis vero delictis flagellis caedi solebant, vbi, e) ne fuga sibi confulerent, interdum columnae adligabantur. Hinc vero factum, vt nebulo quispiam, qui crimen poena dignum commiserat, *μαστιγιάν*, h. e. flagello indigere, diceretur. In maioribus vero criminibus puniendis ad molendum in pissino damnabantur, molestissimum sane tunc temporis laborem, quo facilis ille commodusque molendi modus, qui nunc obtinet, nondum erat inuentus. Ad labores in molis suscipiendos saepe tam crudeliter cogebantur,

z) Pausan. Att.

a) Anonym. Problemat. Rhet. LIX.

b) Athen. Deipnosoph. L. VI.

c) Aristoph. Equit.

d) Idem in Pac. Horat. Ep. L, I, ep. 16.

e) Poll. Onom. L, III, c. 8.

bantur, vt inter f) virgarum et flagellorum ictus animam redderent. Hae molae in genere Μύλωνες dicebantur. Pollux g) véro hoc vocabulum ob crudelitatem, quae ibi in seruos exerceri solebat, *ὡς ἐὺ Φημον* fuisse, immo nec nominari licuisse refert, idque adeo *σιτοποιικόν οἶκον* appellat. Ceterum varia h) his molis nomina a variis granorum generibus, quae ibi molebantur, imponi solebant. Praeter has poenas in seruis puniendis vřtatas alia adhuc erat, qua eorum frons vel aliae corporis partes, i) quibus peccauerant, tamdiu candenti ferro, cui quaedam litterae erant insculptae, inurebantur, dum istae litterae satis impressae essent; quo facto sulcis infundebatur atramentum, eo consilio, vt, quae inscripta erant, magis conspicua lectuque faciliora redderentur. Hoc dicebatur stigmatē notare. Notati véro ipsi *Στιγματίαι* et *Στίγμονες*, vel etiam Attagae appellabantur; hoc enim auium genus k) *ποικιλόπ/ηρον* fuisse Aristophanes narrat. Tales seruos *Inscriptor* vocat Plinius, l) alii Litteratores m) eos nuncupant. Haud inopportuno, opinor, loco hic mihi occurrit Samiorum factum, qui, cum ingentem Seruorum numerum n) libertate donassent, eosque ad munia adeo publica admississent, eos famoso *Litteratorum* nomine insignisse dicuntur. Hic véro monendum mihi videtur, stigmata non modo Graecorum seruis impressa fuisse in sceleris alicuius commissi poenam, sed etiam et consilio, vt eo melius fugientes dignosci possent. Hac de causa milites plerumque stigmatē o) notatos fuisse reperimus, hac tamen differentia, vt Militum manibus ducum insignia, Seruorum véro frontibus dominorum nomina inurerentur. Quemadmodum véro apud Athenienses et alios Graeciae populos plerumque nonnisi iis, qui

f) *Terent. Andr. Act. I. Scen. II.*

g) *Poll. Onom. L. I. c. VIII.*

h) *Poll. L. III. c. VIII.*

i) *Galen. L. VI.*

k) *Aristoph. Av.*

l) *Plin. I. 18. c. 3.*

m) *Plant. Casin. Act. II. Sc. VI. — OL. Sc hic litteratus me finat.*

n) *Aristoph. ap. Plut. in Pericl. Σαρτιαν ὁ δῆμος ἐστὶ πολυγράμμυτος.*

o) *Part. Arch. Graec. L. III.*



qui crimina tanta poena digna perpetraverant, stigmata imprimi solebant; ita apud p) Thraces q) aliasque nationes talis nota pro tanto honoris insigni habitum fuit, vt ea nonnisi Viri dignitate ac auctoritate conspicui vterentur. Haecenus de crudelitatibus, quae in Graecia in seruos exerceri solebant. Iam nos ad describendam Atheniensium seruorum conditionem progrediamur, quae, cum Athenienses seruos suos liberalitate, quam metu in officio retinere mallerent, illam multis parasangis antecelluit. Hoc non solum ex Aristophanis, Plauti et Terentii Comoediis passim colligere licet, sed Demosthenem r) adeo non poenituit huius esse sententiae, vt diceret, vitae conditionem Seruorum Atheniensium, inquilinorum, qui in nonnullis aliis ciuitatibus degerent, statui longe esse praefendam. Hoc Plautus s) confirmare mihi videtur in Stich, vbi canit:

*Atque id ne vos miremini, homines seruos
Potare, amare, atque ad coenam condicere;
Licet hoc Athenis nobis.*

Summum, ni fallor, priuilegium seruis concessum erat hoc, vt nulla iniuria eos vexare atque turbare liceret. Legem de hac re conceptam doceat nos Demosthenes, qui, quo magis legum earumque rationum penitus cognoscendarum studio continebatur, eo melius hic poterit diligentiusque consultus nobis respondere. Audiamus ipsum de hac re exponentem in Oratione aduersus Midiam: Νόμος, Ἐάν τις ὑβρίσῃ εἰς τῶν, ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα, ἢ ἄνδρα, τῶν ἐλευθέρων, ἢ τῶν δούλων, ἢ παρόμοιον τι ποιῆσῃ εἰς τούτων τιῶν, γράψεται πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων οἷς ἔξοστιν. Et paulo post: Ἀκούετε, ἂ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ νόμου τῆς Φιλανθρωπίας, ὃς οὐδὲ τοὺς δούλους ὑβρίζεσθαι ἀξιοῖ. Contra eum vero, qui seruum alienum pulsarat, actionem iniuriarum datam fuisse, Xenophon

p) Herodot. L. V.

q) Claud. in Ruffin. L. I. Membraque qui ferro gaudet pinsisse Gelonus.
Luc. de Lind. Descript. Orb. Terull. de veland. Virg.

r) Demosth. Philipp. III.

s) Plaut. in Stich. Act. III. Sc. I.

phon *) et Athenaeus **) testantur. Quid? quod Demosthene x) Auctore saepe, qui seruos offenderant, pro iniuria grauitate morte adeo puniebantur. Quemadmodum vero his legibus serui ab omnibus iniuriis inferendis tuti praestabantur; sic aliis etiam ipsi, ne vllum iniuria lacerarent, prohibebantur. Aduersus enim eos y) qui liberum in hominem conuitia effuderant, actio apud Thefmothetas institui poterat. Seruis in bello captis alia lege z) Rhetor Lycurgus consultum cupiuit, qua omnibus ciuibus et inquilinis Atheniensibus iniunxerat hoc, ne vllum captiuum, qui liber fuerit, sine prioris domini consensu venderent. Loquitur hic haud dubie de ἀρχιμαλώτοις, qui bello capti seruitutem, quam Aristoteles a) κατὰ νόμον vocat, seruiebant. Si quis vero morbo laborantem seruum venditurus morbum non indicaret; iure cum hoc agere permittebatur. Et cum non raro accideret, vt homines ingenue nati educatique, furto ablati pro seruis venderentur; Solon b), vt in tales plagiaris seuerissime animaduertetur, statuit, simulque vero filiam vel sororem cum viro deprehenfam vendere permisit. Athenis in foro varia vendendis Seruis loca erant destinata, vbi quouis primo mensis die c) ab ἀνδραποδοκαπήλοις adducti per d) praeconem, qui lapidi in eum sinem erecto (hic vero πρᾶτῆς λίθος vocabatur) insistens populum conuocabat, venales proponebantur. Postquam Athenis emtus seruus domum erat deductus, e) conuiuium a domino parari solebat, quo illi nouum seruitium veluti gratulabantur, et nonnulla etiam

f) Xenoph. in Republ. Atheniens.

g) Athen. L. VI.

x) Demosth. adv. Mid.

y) Poll. L. 8. c. 8. sect. I. Καὶ ἐὰν δούλος κινῆσθαι ἀγορεύῃ τὸν ἐλευθερεῖν.

z) Plut. in Lyc. Vit.


a) Aristot. L. I. Polit. c. 6.

b) Plut. in Solon.

c) Aristoph. Schol. in Equit.

d) Poll. L. III. c. VIII.

e) Aristoph. in Plut. Poll. I. c.



etiam eius capiti bellaria, *καταχύσματα* dicta infundebant. Si quis in seruitutem abducebatur, ^{f)} cuiuslibet eum liberali auferere causa manu, fidemque pro eo apud Polemarchum interponere licebat. Alia ^{g)} vero lege, vt, qui per iniuriam hoc fecisset, aerario publico semissem acclimationis vel pretii solueret, cautum erat. Actio vero forensis, qua seruus vindicabatur, dici solebat *ἔξαιρέσεως δίκη*. Tanta serui libertate Athenis fruebantur, vt ipsis adeo in dominos suos nimis crudeles duplicem ^{h)} actionem intendere liceret, quae *Υβρεως δίκη* vel *Αμίας δίκη* vocabatur. Prima utebantur, quorum castitati a dominis vis inlata erat, altera vero, qui nimis acerbe et seuerere fuerant puniti atque castigati. Si probatae erant iudicibus seruorum querelae, dominus iniquus ad ⁱ⁾ seruum humanioribus vendendum cogebatur. Qui autem nullo alio modo crudelitatem dominorum effugere poterant, seruis erat concessum hoc, vt in Thefei ^{k)} templum tanquam in asylum se reciperent, vbi iis *τοῖς πρῶτον διτοῖς* ius dicebatur, et vnde nemo sine crimine sacrilegii admittendo eos extrahere poterat. Quemadmodum igitur Theseus, cum viueret, pauperes atque innocentes semper defenderat; sic etiam post eius mortem locus, quo ossa sua custodiebantur, veluti portus tutissimus ac perfugium erat, vbi omnes serui immaniter a dominis suis tractati vexatique iubentissime recipiebantur. Pendebant serui quotannis dominis suis exiguum tributum ex peculio, quod sibi comparant. Quod si tantum erat, vt eo se redimere possent, ^{l)} lege dominis imperatum erat, ne seruos, oblata pro capite pecunia, in seruitu-

f) Aeschin. in Timarch.

g) Demosth. Orat. in Theocrin.

h) Poll. Onomast. L. VII. c. 2,

i) Plut. *περὶ δεσποτικῶν*,

k) Plut. in Thef.

l) Dio Chryf. Orat. XV. *Plout.* in Casin. Act. II. sc. V.

Quid tu me vero libertate territas?

Quod si tu nolis, filiusque etiam tuus,

Vobis inuitis, atque amborum ingratis,

Vna libella liber possum fieri.

uitute retinerent. Si diligentes vero et fideles in dominorum negotiis gerendis se praestiterant serui, illi non rogati hos manumittere solebant, vel si aliqua re ^{m)} de Republica bene meuerant, mercedis loco libertate donabantur. Quanquam vero serui inter ciues referendi a praecone renunciari solebant, tamen lege vetabantur praecones ⁿ⁾ sub poena ignominiae, seruum liberum in Theatro renunciare, ne Graeci ceterarum urbium, qui forte ludis inter erant, huius rei testes essent. Quamdiu serui alicuius domini imperio subiecti erant, *ὀκέται*, libertate vero recuperata, *δοῦλοι* vocabantur. Manumissorum seruorum, quibus ius ciuitatis erat concessum, conditio, inquilinorum statui hinc inde perquam similis fuisse mihi videtur. Tributum enim duodecim drachmarum, quod ab inquilinis soluebatur, idem, additis tribus obolis, ^{o)} serui manumissi ferre debebant. Quid? quod ^{p)} lege iis erat iniunctum hoc, vt eum, a quo libertate donati essent, tanquam Patronum colerent, perque eum omnia publica priuataque negotia administrare iuberent. In omnia illa abit Petitus et auctoritate Suidae inductus contendit a libertis nonnisi eum, qui eos manumisset, Patronum eligi potuisse. At Casaubonus ^{q)}, Vir in omni humanitatis parte loge elegantissimus, Aristotelis ^{r)} auctoritatem secutus censet, seruos, cum manumitterentur, publice voce praeconis sibi pro lubitu patronum eligere potuisse. Iam vero quanquam non is sum, qui inter summos hos Viros sedere et secundum alterutrum eorum pronuntiare audeam (iudicii enim id est elegantioris doctrinaeque vberioris), tamen me non poenitet ^{s)} Petiti esse sententiae, qui discrimine inter *προστάτην* et *ἐπίτροπον* constituto, contendit, illum Liberti negotia omnia ad-

H 2

mini-

m) Arist. Ran. Act. II. Sc. 6. Dio Chryf. Orat. XV.

n) Aesch. Orat. in Ctesiph.

o) Poll. L. III. c. 4.

p) Legem hanc Petitus ex iis, qua Grammatici de *προστάτων* actione referunt, colligit.

q) In animadv. ad Suet.

r) Arist. Rhet. L. III. c. VIII.

s) Petit. p. 181.



ministrasse, hunc vero a manumisso seruo eo consilio publice electum fuisse, ut, si ab ipso Patrono iniuria esset ei inlata, eum defenderet, pro eo intercederet, eiusque causam coram iudicibus ageret. Aduersus Libertos vero ingratos Patronis ἀποστασίον δίκη erat concessa. Quemadmodum ¹⁾ vero omnes actiones contra seruos in tribu dominorum erant instituendae, sic etiam liberti ἀποστασίον postulati a contribulibus Domini siue Patroni iudicabantur. Si hac actione victi fuerant liberti, libertate priuati ²⁾ et in pristinam miseram conditionem redacti in vincula coniciebantur, aut etiam vendebantur: sin autem manumissi vicerant, a dominis penitus emancipandi perpetua libertate fruebantur. Licebat autem cuilibet, siue cui siue peregrino, in hac aduersus Libertos actione, antequam iudicium reddebatur, διαμαρτυρεῖν. Et haec erat seruorum Atheniensium fors, quam, si cum misera illa seruorum in aliis Graeciae vrbibus degentium conditione comparaueris, hac longe meliorem existimare, opinor, non dubitabis. Quanquam enim Athenienses non semper et vbiq; tam clementer, ut Cicero et Seneca in scriptis suis longe praestantissimis praeceperunt, cum seruis suis vixerunt, tamen ab iis leges humanitatis mutique amoris, quo mortales natura coniuncti copulatique tenentur, in seruis tractandis plane fusque deque habitas fuisse, nemo iure meritoque contendere vnaquam poterit.

CAPVT II.

De Spartaee incolis.

Postquam de ciuibus, inquilinis seruisque Atheniensibus exposuimus, iam instituti nostri ratio a nobis exigit hoc, ut, qui fuerint Spartaee incolae, doceamus. Sed quo liberius potuimus certiusque, auctoribus Veteribus, iura conditionemque incolarum Atheniensium

¹⁾ Harpocr. ὅτι πρὸς τὴν φυλὴν τοῦ κεντημένου αἰ πρὸς τοὺς δούλους λατρεῖν τε δίκαι. κ. τ. λ.

²⁾ Val. Max. L. II. C. I.

ensium explicare, eo timidius hinc inde audemus religiosiusque certi quid de Lacedaemoniorum statu pronunciare. Tantum est de ea re apud auctores Silentium. Duo imprimis Lacedaemone incolarum genera fuisse inuenimus, quorum alterum ciuium, alterum feruorum nominae insigniebatur. Reliqui omnes Peregrini appellati fuisse videntur, quibus, cum ciues Spartani omnem operam in armorum tractatione ponerent, artium liberalium illiberaliumque exercitium relictum erat. Ciuium vero non vna eademque fuit ratio. Alii enim, vt apud Athenienses, erant ciues nati, alii ciuitate donati. Quanquam vero ingenui ciues ii existimabantur, qui ex parentibus ciuibus legitime iunctis erant procreati; tamen tum demum ex Lycurgi a) lege inter ciues referendi putabantur, si a tribulibus natu maximis in loco, qui λέσχη dicebatur, inspecti exploratique, tam robusti erant repertique, vt Respublica ex iis commoda percipienda sperare posset. Iure meritoque haec crudelis Lycurgi lex vituperatur, secundum quam omnes infirmae aegraeque valetudinis infantes interfici debebant. Et quanquam ille alias multa eximia prudentiae sapientiaeque documenta edidit; tamen hic ignorasse mihi videtur, omnino illud honestum, quod ex animo excelso atque magnifico quaerimus, animi, non corporis viribus effici solere. Quodli vero ciuium liberi tribulibus fuerant probati, septennes facti in ἀγάλας seu classes pueriles distribuebantur, vbi ad pubertatem vsque educabantur. Anno autem aetatis octauo decimo, qui plenae pubertatis iure ciuili dicitur, inter Ephebos referebantur. Hunc annum qui biennio b) excesserant, εἰρηνες, qui autem inter pueros ipsos huic aetati erant proximi c), μελλεῖρνες dicebantur. Quemadmodum vero Athenienses anno aetatis vicesimo ex Ephebis excedere solebant, sic Lacedaemonii trigesimo demum anno inter viros transferiebantur. In quo auctoritatem Plutarchi sum secutus, qui scribit Lacedaemoniis ante annum trigessimum in forum procedere non licuisse. Si igitur ante hunc annum in foro versari non poterant, prope verum accedit.

H 3

dit.

a) Plut. in Lyc.

b) Ἐπεινας καλοῦσι τοὺς ἔτος ἢ διὰ δεύτερον ἐκ παιδῶν γενομένους.

c) Μελλεῖρνας δὲ πᾶν παῖδον τοὺς πρεσβυτάτους.



dit, eos trigesimo demum anno inter viros transcriptos fuisse, vel, quod idem denotat, libertatem licentiamque, publicis negotiis sese immiscendi, fuisse adeptos. Qui autem inter viros censebantur, d) Sphaerei dici solebant. Omnes vero, qui non ex vitroque parente Lacedaemonio et legitime nati erant, pro nothis et aduiterinis habebantur. Id quod Partheniorum exemplum luculentissime nos docet, ut Leoty-chidem et Demaratum, Reges, qui huius suspicionis damnati regno exciderunt, aliosque taceam. Parthenii vero, cum non ex legitimis nuptiis essent suscepti, nunquam a Lacedaemoniis in ciuium numero fuerunt positi. Quales hi fuerint, docuit me Ephorus apud Strabonem, cuius vero locum, quoniam intelligo esse amplio-rem, quam quem huius Commentationis angustiae capere possint, nemo, credo, postulabit a me, ut huc transferam. Ex hoc vero loco apparet, a Lacedaemoniis anno belli Messeniaci decimo robustissimos et aetate minimos e castris Lacedaemona eo consilio fuisse missos, ut ibi cum virginibus concumberent liberosque procrearent. Qui autem hoc modo geniti fuerant, *παρθενιαί*, seu virginium e) filii dicebantur. Qui cum vidissent, se illis, qui ex matrimonio legitimis erant nati, minus aestimari; patrio solo relicto, nouisque sedibus quaesitis, tandem Tarentum in Italia, duce Phalantho, condidisse feruntur. Hanc historiam quamuis Iulianus e Trogo paullo aliter referat, et Helychius f) adeo condendat, eos Parthenios fuisse appellatos, qui bello Messeniaco in castris ex ancillis nati fuissent; tamen has controuersias conciliare nihil attinet, praesertim, cum, Parthenios extra coniugium genitos fuisse, adeoque in ciuium numero poni non potuisse, vna omnium et consentiens auctorum vox affirmat. Constat quidem inter omnes, ciuitatem Lacedaemoniorum, quamuis *τῶν ὀλιγῶν θερῶπων πόλεων οὐσαν* a Lycurgo, qui ab oraculo de hac re consulto *Φυλάς Φυλάξαι* iussus erat, in tribus

d) Pauf. L. III. Οἱ δὲ (Sphaerei) εἰσὶν οἱ ἐκ τῶν ἐφέρων, εἰς ἄνδρας ἀρχόμενοι συντελεῖν.

e) Suid. οἱ γενόμενοι παρθένῳ πρὸ τοῦ γημᾶσθαι.

f) Οἱ κατὰ τὸν Μεσσηνιακὸν ἑκτοῖς πόλεμον γενόμενοι ἐκ τῶν θερκαίνων.



bus fuisse diuisam. Quot vero fuerint tribus, et quibus nominibus appellatae, in tanta monumentorum inopia, quae nostrae hac in parte satisfaciatur cupiditati, qui, vt definiam, postulet a me et exigat, arbitror esse neminem. Si tamen ad coniecturarum opem hic decurrere licebit, animus inclinatur, vt credam, sex fuisse tribus Spartanas, praesertim, cum earum nomina hinc inde apud Veteres Auctores dispersa extant. Prima igitur tribus et praecipua videtur nobis fuisse Heraclidarum, siue eorum, qui a diuina Herculis stirpe ortos se credebant. Hos a reliquis distinctos, tantumque cum Doribus mixtos fuisse Plutarchus g) testatur. Secunda tribus fuit Aegidarum, cuius Herodotus h) mentionem fecit; Tertia Limnatorum, qui Pausania i) auctore, partem quandam Sparta, quam Διμναίων vocarunt, habitasse feruntur; quarta Cynofurensum, quam Hefychius k) commemorauit; quinta vocabatur l) Μεσσοία ab vrbs parte, Messoa, dicta; sexta denique fuit m) Pitanaatarum, quae, cum Hefychius, Menelaum ex Pitanaatis fuisse, scribat, satis antiqua tribus fuisse videtur. Haec de tribubus Laconicis accepimus. Quae vero earum iura, et quales tribuum praefecti seu Phylarchi fuerint, cum harum rerum nullum vestigium apud Veteres Auctoresprehendatur, non possumus docere. Fuit autem quaeque tribus in partes minores a Lycurgo distributa. Id quod facere ab Oraculo iussus erat. Hae tribuum partes, quae ὀβραὶ dicebantur, triginta fuerunt, quarum videntur fuisse quinque cuiusque tribus, suis nominibus distinctae. Quod ex Pausaniae verbis elicere nobis licebit, qui n) ex Pitanaatis quosdam Crotanos dictos fuisse dicit. Ceterum

his

g) *Plut. Lyf.* Τῶν ἀναμιχθέντων Δωριέσι Ἡρακλειδῶν, καὶ καταθέντων εἰς Πελοπόννησον, πολλὰ μὲν ἐν Σπάρτῃ καὶ λαμπρὸν ἦν ὅσως γένος.

h) *Herod. L. IV.* Οἰλόκου γένεται Ἀίγιος, ἔφ' οὗ Ἀίγιῶται καλέονται, φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ.

i) *Paus.* Χωρὶον ἐπωνομαζόμενον Διμναίων. paullo post commemorat Διμναίας Σπαρτιατῶν.

k) *Hefych.* Κυνόφουρα, φυλὴ Λακωνική.

l) *Steph.* de urb. Μεσσοία, φυλὴ Λακωνική.

m) *Hefych.* ἢ Πιτάνη. Φυλὴ.

n) *Paus.* εἰ Κροτανοὶ μῶρα τῶν Πιτανατῶν.

his ὠβαῖς praefuisse credimus eos, qui apud Hesychium Γεροάι-
ται, vel δημάρχοι παρά Λάκωσι dicuntur. Si enim tribus respon-
dent tribubus, et δήμοις Athenisibus partes Laconicarum tribuum,
Obae dictae; faciles lectores, opinor, in admittenda ea senten-
tia habeo, qua Geroactas Obis Lacedaemoniorum praefuisse con-
tendo. Cum hac distinctione convenire mihi videtur altera, qua
Lacedaemonii in moras ^o) domi distribuebantur. Erant haec morae,
vt tribus, sex numero, iisque, vt ex Xenophonte constat, tantum
ii, quibus aetas erat militaris, continebantur. Quaelibet mora in
túrmis, Pentecostyas et Enomotias erat diuisa, quae quales fuerint,
alio loco de militia disputaturi exponemus. Praefuit cuius morae
Polemarchus et domi et in bello, vbi reliqui, qui Lacedaemoniis
ad bellum eductis imperabant, huius imperio erant subiecti. Fuit
alia adhuc ^v) diuisio, ratione aetatis, in Pueros, Iuuenes et Senes,
τριχορία dicta, quam vero, cum huc non facere videatur, praeter-
mittimus. Duplex vero, vt iam supra diximus, ciuium Lacedae-
moniorum erat genus, alterum ingenuorum, alterum ciuitate don-
natorum. Primi Reges Lacedaemoniorum, vt Strabo testatur, per-
miserunt δέχεσθαι συνοίκους τοὺς βουλομένους τῶν ἑνῶν, διὰ τὴν
λειπανάθειαν, et, Aristoteles ^q) initio multos ad augendum ciuium nu-
merum ciuitate donatos fuisse scribit. Postea autem peregrinis ius
ciuitatis non nisi certis de causis fuit concessum. Tyrtaeum Athe-
nensem, quo Lacedaemonii ex oraculi sententia in ^t) bello aduer-
sus Messenios gesto duce erant vsi, ciuem factum fuisse, probat Apoph-
hégma ^s) illud Pausaniae, qui interrogatus, quare Tyrtaeum Poe-
am Spartani ciuitate donassent, *ne vnquam videremur peregrino Du-
e vsi*, respondisse fertur. Traditur etiam, Terpandrum, Thale-
em, Pherecydem aliosque in ciuium Spartanorum numerum relatos
uisse. Quare animum adducere non possum, ut Herodoti ^t) sen-
tentiae

o) Xenoph. de Rep. Laeod.

p) Plut. lib. περί φιλαυτιάζ. et in Vit. Lyc. *Foll. L. 4. c. 15.*

q) Aristot. Polit. L. II.

r) Strab. L. VIII. *Pausan. L. IV.*

s) Plut. in Apophth. Lacon.

t) Herod. L. ult.

tentiae subseribam, qui solum Tifamenum vna cū fratre ciuitate donatum fuisse enarrat. Negare vero non audemus, perquam raro, vt apud Athenienses et Thebanos, ita etiam apud Lacedaemonios, ius ciuitatis ob dignitatem cum eo coniunctam, concessum fuisse. Quo nomine non solum populos illos Dionysius Halycarnassensius reprehendit; sed Herodotus etiam commemorat, Spartanos in ciuitatis iure Tifameno concedendo tam difficiles se praebuisse, vt, postquam id ipsi primo denegauerant, eum tum demum, cum, imminente Perlarum exercitu, eius auxilio ac ope egerent, hoc honore dignum putarent. Praeter hos et alii liberi homines Spartae fuerunt, qui, quamuis non essent Lacedaemonii, tamen, cum a puerili inde aetate in disciplina Laconica essent educati, postea eandem ob causam, qui inter ciues referrentur, digni iudicari solebant. Horum hominum, qui Μόθακες dicebantur, conditionem non facile vidi, qui accuratius diligentiusque ex posuerit Athenaeo ^{u)}, cuius locum hic non praetermittendum puto. Is igitur ita loquitur: *Εἰς δὲ οἱ Μόθακες σύντροφοὶ τῶν Λακεδαιμονίων. ἕκαστος γὰρ τῶν πολιτικῶν παιδῶν ὡς ἂν τὰ ἴδια ἐκποιῶσιν, οἱ μὲν ἓνα, οἱ δὲ δύο, τινὲς δὲ πλείους συντρόφους ἑαυτῶν. εἰσὶν οὖν οἱ Μόθακες ἐλεύθεροι μὲν, οὐ μὴν Λακεδαιμόνιοι. μετέχουσιν δὲ τῆς παιδείας πάσης.* Hoc modo ciuem factum fuisse Lylandrum τὸν καταναυμαχῆσαντα τοῖς Ἀθηναίους πολίτην γενόμενον δι' ἀνδραγαθίαν, Phylarchus apud Athenaeum exillimat. Idem de eo testatur Aelianus ^{x)}, qui tales ciues etiam fuisse Callieratidam et Gylippum scribit. Restat, vt de statu conditioneque seruorum Lacedaemoniorum vel tribus verbis dicamus. Seruorum vero vocī hic vim potestatemque subiectam volumus hanc, vt et δούλους, bello vel alia occasione in seruitutem redactos, et οἰκέτας, vernas, denotet. Vtriusque generis, praecipue tamen vernarum multos Lacedaemone fuisse, Thucydides ^{y)} nos docet, qui nusquam plures, quam Lacedaemone seruos esse contendit. In quo

u) Athen. Dipnosoph. VI. ex histor. Phylarch. libr. 25.

x) Ael. Var. Hist. I. XII. c. XLIII.

y) Schol. ἢ Λακεδαιμονίων πλείστους εἶχεν οἰκέτας.



consentientem sibi habet Plutarchum, qui Aetolos Laconicam incur-
santes, quinquaginta millia Helotarum abduxisse tradit. Hanc ser-
uorum multitudinem Lacedaemonii semper pertinuerunt, adeo, vt
etiam tum, cum a Macedonibus et Achaeis premeretur Sparta Rex
Cleomenes ²⁾, hic, quamuis tunc temporis multo maiori seruorum
numero abundaret Laconia, duo tantum Helotarum millia, quos
Antigoni Leucaspidis opponeret, armanda putaret. Quanquam qui-
dem omnes serui Spartanorum promiscue ^{a)} Helotae dicebantur,
tamen, alios fuisse Helotas, alios Messenios, Pausanias nos doceat,
qui, vbi de secessione Helotarum in montem Ithomen facta locutus
est, haec addit: ἀπέστησαν δ' οὐχ ἅπαντες οἱ Εἰλωτες, ἀλλὰ τῶν
Μεσσηνιακῶν ἀπὸ τῶν ἀρχαίων Εἰλωτῶν ἀποσχισθέντες. Helotae ^{b)}
dicti sunt ab vrbe Laconica, cui nomen Helos, a Spartanis, qui
omnes eius vrbis incolae in seruitutem perpetuam redegerant, deuicti.
Et cum Spartanis omne exercitium cuiusque liberalis illiberalisque
artis esset interdictum, agros Helotae ^{c)} colebant, omnisque generis
obibant negotia, interea dum eorum domini suum tempus saltatio-
nibus, epulis, exercitationibus, certaminibus venatoriis aliisque re-
bus impenderent. Hic vero non possumus satis mirari, quomodo
fieri pouterit, vt serui apud Lacedaemonios ratione vsus communes
et quasi publici iuris haberentur. Et haec credere omnis fides abi-
tet, nisi Strabo ^{d)} et Aristoteles ^{e)}, rem se ita habuisse, testimoniis
suis

²⁾ Plut. in Cleom.

^{a)} Paus. Πρώτοι γε ἐγένοντο οὗτοι Λακεδαιμονίων δούλοι τοῦ κοινοῦ, καὶ Εἰ-
λωτες ἐκλήθησαν πρότεροι, καθάπερ γε καὶ ἦσαν, τὸ δὲ δικαστικὸν τὸ ἐπιτη-
θῆν ὕστερον Δωριασὶ, Μεσσηνίους ὄντας ὀνομαζέσθηναι καὶ τούτοις ἐξέτιμησεν
Εἰλωτας.

^{b)} Strab. L. VIII. Harpocr. Εἰλωτες οἱ μὴ γένω δούλοι Λακεδαιμονίων, ἀλλ'
δι' πρότεροι χειραθέντες τῶν Εἰλωτῶν τὴν πόλιν ἐκείονταν.

^{c)} Plut. in Lycurg. Οἱ δὲ Εἰλωτες αὐτοῖς ἐργάζοντο τὴν γῆν, ἀποφορῶν τὴν
ἐρημμένην τελοῦντες. Aristot. L. II. Polit. Isscrph. L. II. contr. Apion.

^{d)} Τεσπὸν τίνα δημοσίου δόλουσιν εἶχον δι' Λακεδαιμονίους τούτους.

^{e)} Arist. Pol. L. II. Εἰν Λακεδαιμονίῳ τοῖς δὲ δούλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλοις, ὡς
ἐπεὶν, ἰδίους ἐπὶ δ' ἵπποις, καὶ κισί, καὶ δεχθῆσαι ἐφοδίων ἐν τοῖς ἀγροῖσι
κατὰ τὴν χώραν.

fuis confirmassent. Miserrima vero Helotarum conditio adeo in prouerbium abiit, vt, ^{f)} *grauiore seruitute premere quam Helotas*, idem esset. ac si dixeris, aliquem in miserrimum statum redigere. Cryptia enim, siue arcana lege, qua serui immani crudelique modo occidebantur, suo nomini famaeque aeternam turpitudinis notam Lacedaemonii inuulerunt. Haec Cryptia, cuius inuentionem quidam Ephoris, quidam Lycurgo tribuunt, quae qualis fuerit, Plutarcho ^{g)} qui accuratius exposuerit, neminem scio. Quid? quod Spartani, ^{h)} vt liberos ebrietate absterrent, seruos suos multum vini bibere coactos atque ita ebrios, in eorum conspectum iubebant venire. Interdum eos etiam indecoras choreas saltare, ridiculasque cantare cantilenas compellebant, iisque carmina a bonis poetis composita, ne ipsorum ore polluerentur, proferre interdicebant. Quare, cum plurimos ex Helotis captiuos fecissent Thebani, nullo modo eos eo adducere potuerunt, vt Odas Terpandri, Alcmanis, vel Spondonis, celebrium Lacedaemone Poetarum, canerent. Quamquam vero Helotarum seruitus perquam grauis et dura erat; tamen a spe libertatis recuperandae non plane fuisse exclusos, historia docemur. Dominis quidem, seruos suos ⁱ⁾ neque manumittere, neque libertate donare, neque extra Laconiae fines vendere licebat. Sed populus, cuius imperio serui erant subiecti, eos interdum vel libertate donare, vel iis adeo, si exigeret necessitas, eam vendere solebat. Prioris illustre testimonium peti potest ex seruis, ^{k)} qui cum Brasida in proelio fuerant, et re bene gesta domum a Clearida reducti, a populo liberi renunciabantur. Posterioris exemplum suppeditet Cleomenes ^{l)}, qui, occupata ab Antigono Tegea, direptisque Orchomeno

I 2

f) Isocrat. Panath. Οὐδὲ μὲν ἐλευθερώσειν ὀμολόγησαν, κατεδουλώσαντο μὲν
λεν, ἢ τοὺς Ἑλλήνας.


g) Plut. in Lycurg.

h) Plut. ibid.

i) Strab. L. VIII. ὥστε μὴτ' ἐλευθεροῦν ἔξεῖναι, μὴτε πωλεῖν ἔξω τῶν ὅρων.

k) Thucyd. L. V.

l) Plut. in Cleom.



ehiomeno et Mantinea, quum redactus in fines Laconicos esset, Helotas, qui quinque minas Atticas praestitissent, manumisit. Quae ratione talenta quingenta coegisse a Plutarcho narratur. Ex aliquo Thucydidis ^{m)} loco colligimus, in manumittendis seruis apud Spartanos moris fuisse hoc, ut manumissi coronarentur, coronatique circa templa ducerentur. Plerumque vero Lacedaemonii libertatem vel ob res in bello bene gestas, vel ob auxilium in aliis periculis praestitum seruis suis concessisse videntur. Ita enim, qui obsessis in Sphaeria Insula Lacedaemoniis commeatum aduexerant, libertate donatos fuisse traditum est. Interdum etiam Libertini in ciuium numerum referebantur, vel iis, ut, ubicunque vellent habitandi potestas esset, vel in Colonias ducerentur, concedebatur. Helotae quidem ii, qui bello Messeniaco ⁿ⁾ libertate donati fuerant, inter ciues recepti, Epeunacti vocati fuerunt, quasi in lectum Dominorum successerint. Brasidiani ^{o)} vero serui, quibus Spartani domicilium sibi eligendi libertatem erant largiti, paullo post in Lepreo cum Neodamodibus collocati fuerunt. Vtrum vero Helotae, libertate donati, an inter ciues relati, Neodamodes dicti fuerint, cum veteres auctores de hac re inter se valde discrepare et dissentire videantur, nos diiudicare non audeamus.

CAPVT

m) Thucyd. L. IV. ἐστειφάνωσαντο, καὶ τὰ ἱερὰ περιήλθον, ὡς ἡλεοθεριμένοι.

n) Athen. Dipsosoph. ex XXXII. Histor. Ἀποδανόντων πολλῶν Λακεδαιμονίων ἐν τῇ πρὸς Μεσσηνίους πολέμῳ, οἱ περιλειφθέντες ἐυλαβηθέντες καὶ καταφανείς γίνονται τοῖς ἐχθροῖς ἐρημιωθέντες, ἀνεβίβασαν τῶν Εἰλωτῶν ἐφ' ἑκάστην στίβαν τῶν τετελευτηκῶτων τινὰς, οὓς καὶ πολίτας ὕστερον ποιήσαντες προσγέγρασαι Ἐπειυάκτους, ὅτι κατετάχθησαν ἀντὶ τῶν τετελευτηκῶτων εἰς τὰς στίβαντας.

o) Thucyd. L. V. οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐψηφίσαντο, τοὺς μὲν μετὰ Βραχίδου Εἰλωτας μαχεσάμενους ἐλευθέρους εἶναι, καὶ δικεῖν ὅπου ἂν βούλωνται, καὶ ὕστερον δὲ πολλοὺς αὐτοὺς μετὰ τῶν Νεοδαμῶων εἰς Λέπρεον κατεστήσαν.

CAPVT III.

De Romae incolis.

Cum non ignorem, de Romae incolis satis iam hominum doctorum disputationibus disceptatum fuisse, nemo tam impudentem me putet, vt eiusdem disputationis odio aures hominum eruditorum obtundere, et millies dicta ad fastidium vsque proferre audeant; id tantum agam, vt, quae ad rem nostram praesentem institutumque facere videantur, breuiter attingam. Auctor et conditor Romae, Romulus, Cecropem, Theseum priuosque Lacedaemoniorum Reges, quos initio ad augendum incolarum numerum aduenas omnes ciuitatis iure ornasse supra vidimus, non solum est imitatus, sed etiam, quod Athenienses et Spartani nunquam fecerunt, victas gentes in populi Romani amicitiam et ciuitatem adeo ipsam admittendas putauit. Quod a sequentibus regibus et consulibus studiosissime obseruatum ^{a)} tanti imperii praecipua causa fuit. Quemadmodum vero exterae gentes vel victae vel sponte in populi Romani amicitiam aut foedera et dittonem admissae, tam variae conditionis pro earundem erga rempublicam meritis fuerunt, vt aliae omnino liberae, aliae foederatae, aliae stipendiariae, aliae fundi populi, aliae Latinae essent, aliae vero ciuitatem Romanam adipiscerentur: ita tam varii generis etiam ciues fuisse est obseruatum, vt alii essent ciues Romani cum iure suffragii, alii sine suffragio, alii municipes, alii coloni, alii ex praefecturis, alii vero sine ciuitatis iure nonnulla ciuitatis Romanae priuilegia haberent. Hic vero, cum mihi ab aliquot inde annis Doctorum meorum prudentia sit, diligentiaque a peruersa eorum ratione cautum, qui de materia aliqua, satis cognita illa doctioribus, disputaturi, quicquid acerbissimas per Lexica exactiones exercendo, Indicum opem anxie efflagitando, Thesauros misere defatigando aliorumque serinia impudenter compilando, corradere potuerunt, eo plagulas aliquot implent; non iisdem artibus

a) Cicero pro Balb.



inhonestis crescere et inclarescere studebo, sed lectoribus nostris Manutii, Sigonii, et Panuini libros eos, e quibus illarum rerum cognitionem petendam esse arbitror, legendos commendabo. Ciues Romae, vt Athenis et Spartaе, alii erant ingenui, alii ciuitate donati. Ingenuum vero Romae ciuem fuisse existimo, qui domicilium, tribum et honorum petitionem erat consecutus. Hoc enim modo ciues Romani distinguebantur ab iis, qui e municipiis fuerunt, qui, quamquam tribum et honorum petitionem erant adepti, tamen, quia domicilio carebant, non ingenui ciues Romani, sed municipes vocabantur. Id quod ex M. Porcii Catonis exemplo patet, qui, quamdiu Tusculi fuit, municeps, vbi vero Romam cum rebus suis commigrauerat, ciuis Romanus dicebatur. Domicilii largitionem fundamentum quasi ciuitatis fuisse, Romulus, ac deinceps reliqui reges, hisque exactis populus Romanus nos docent, qui non nisi hac conditione, vt Romam se conferret ibique tribui alicui adscriberetur, neminem inter ciues recipiendum statuerunt. Sic Hostio Hostilio Medullino Romulus, Lucumoni Tarquinio Tarquiniensi Ancus, Sercio Tullio Oericulano Priscus, anno vero post reges exactos sexto, Appio Claudio Sabino, nec multo post Octaui Mamilio Tusculano consulum rogatione populus iura ciuitatis impertierunt. Sed non singulis solum hominibus, sed vniuersis etiam populis, vt Antemnatibus, Camerinis, Crustuminis et Sabinis Romulus ciuitatis ius ita dedit, vt, qui Romam ex oppidis suis commigrare vellent, in tribus describendi omnium ciuitatis Romanae iurium participes fierent, qui vero in patria remanerent, ab illis iuribus et priuilegiis plane excluderentur. Post urbem autem a Gallis captam hoc modo exteris gentibus ciuitatis ius fuit communicatum, vt, quotquot essent alicuius oppidi ciues, quotiescunque Romam venissent, quamvis Romae domicilium nullam haberent, eodem, quo ciues Romani loco ducerentur. A domicilio vero ingenuorum ciuium Romanorum cum multa alia, tum maxime sacrorum, libertatis, dignitatis, vrbis, fori, ludorum festorumque dierum commoda proficiscabantur. Ad quae retinenda populum Romanum in oratione contra Rullum habita Cicero est cohortatus, vbi, omni facundia omnibusque oratoriis ornamentis adhibitis, Romanis eo perducere studet,

ne

ne in colonias deducti vrbis Romae domicilium et tanta praeterea commoda aliis ex agrorum diuisione sperandis postponerent. Quod vero diximus, Romani domicilii largitionem fundamentum quasi ciuitatis Romanae fuisse, id non eo dictum volumus, vt eum, qui extra agri Romani fines negotii fortasse gerendi causa habitaret, ius ipsum ciuitatis Romanae statim amisisse statuamus, sed, vt eo intelligatur, ciuem ingenuum Romanum, qui in aliam vrbem profectus ibi in ciuium numerum recipi se promiserit, hoc ipso ciuitate Romana se priuasse. Neque enim, vt Cicero ^{b)} scribit, iure Quiritium idem duarum ciuitatum ciuis esse potuit. Quo etiam referenda sunt illa apud Nepotem, qui de Attico enarrat, factum esse, vt, cum ei omnes honores, quos possent, Athenienses publice haberent, ciuemque facere studerent, eo beneficio ille vti noluerit; quod nonnulli ita interpretarentur, amitti ciuitatem Romanam alia ascita. At Roma Romanoque agro abesse, ciuibus Romanis, quamdiu liberis, licuisse, ex T. Pomponii Attici, equitis Romani, exemplo potest opinor, intelligi, qui, cum Athenis habitaret, Roman tamen saepe, et ad comitia amicorum et ad censum ciuium, iuris retinendi gratia, ventitauit. In donanda vero ciuitate apud Romanos non tanta fuit, quantum apud Athenienses et Spartanos religio. Tot enim singulos homines vniuersosque populos hoc iure donasse feruntur, vt mihi omnia illa exempla enumerare instituenti facilius esset reperire initium quam exitum. Non solum vero populus Romanus, terrarum orbis dominus, facile integris ciuitatibus aut prouinciis ius ciuitatis indulsit, sed etiam id priuatis interdum veadidit. Hoc durauit vsque ad tempora Imperatoris Antonini, qui Constitutione ^{c)} singulari omnibus in imperio Romano ingenuis ciuitatem Romanam concedendam existimauit. Quanquam vero Antoninum Primum auctorem fuisse huius Constitutionis Imperator Iustinianus ^{d)} aliquo loco contendit; tamen huic sententiae adeo non subscribere possum, vt potius cum Dione Cassio ^{e)} Antonino Caracallae, Diui Seueri filio,

b) Pro Caecin.

c) Leg. 17. D. de stat. Hom.

d) Nou. LXXVIII. c. V.

e) Dio Cass. L. 78. Exc. Peiresc. p. 744.



quo imperante Vlpianus scripsit, f) hoc edictum tribuendum existimem. Si enim ex lege vel Antonini Pii vel M. Aurelii Antonini, vt quidam suspicantur, omnes orbis Romani incolae facti fuissent ciues Romani, quomodo Diuus Seuerus eiusque filius Antoninus Caracalla multas g) colonias iuris Italici, quo a ciuibus Romanis distinguebantur, facere potuisset, quod, edicto illo Caracallae con- scripto, plane nullius vltus fuit.

Nonnullorum de iure ciuitatis dando legum memoria vsque ad nostra tempora peruenit, quae dignae sunt, opinor, quarum hic breuiter mentio fiat. Duas commemorat Liuius, quarum priori, vt socii Latiniue, qui stirpem ex sese domi relinquerent, ciues Romani fieri possent, posteriori vero, ne quis quem, ciuitatis mutan- dae causa, suum faceret, neue alienaret, fuit sancitum. Aliae ad- huc de ciuitate danda leges hic illic apud veteres auctores laudantur, quarum praecipuae palmariaeque mihi esse videntur Seruilia, Licinia Mucia, Iulia, Plautia Papiria, Petronia et Papia. Seruiliae leg- is, a C. Seruilio Glaucia, qui cum L. Saturnino tribuno plebis in praetura est occisus, latae haec sententia fuit, vt Latini, senatoribus Romanis damnatis, ciues ipsi Romani fierent. Haec vero lex, vt ex verbis Ciceronis h) patet, ante Liciniam Muciam est lata, quae, i) ne quis esset pro ciue, qui non esset ciuis, sanxit. Magna, ni fallor, inter hanc illamque *διαψήφιστος* legem apud Athenienses obserua- tam, similitudo intercedere mihi videtur, cum vtraque ciuitas earum ope a falsis ciuibus purgaretur. Postquam vero lege Licinia Mucia lata socii Latini, qui se pro ciuibus Romanis gesserant, cum tales reuera non essent, in suarum ciuitatum iura erant redacti; hoc Ita- lorum animos ita exacerbauit, vt paullo post k) Italicum bellum
Rei-

f) P. Burm. de Vestig. Pop. R. c. XI. p. 178. Spanhem. Orb. R. II. 5.

g) Vlp. Lib. de Cenf. Paul. Lib. de Cenf. II. quorum verba leguntur Leg. I. et VIII. D. de Censibus.

h) Cic. pro Balb. c. 24.

i) Cic. Off. III, II. Balb. c. 21. 24.

k) Cic. pro Cornel. ed. Ern. p. 631.

Reipublicae valde perniciosum commouerent. Iulia ¹⁾ lata est a L. Caesare Consule, P. Rutilii collega, qua sancitum est, vt iis, qui bello Italico exorto, in fide manserant, aut postea in amicitiam redierant, ciuitatis ius daretur. Lex ea, quam Cicero nominat in Oratione pro Archia, cum ait: *Data ciuitas Siluani lege et Carbonis*, Plautia et Papiria videtur fuisse, lata a duobus eiusdem anni tribunis plebis M. Plautio Siluano et C. Papirio Carbone. Huius legis sententia fuit haec, vt adscripti in foederatas ciuitates, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et sexaginta diebus apud praetorem fuissent professi, ciuitate donarentur. Hanc legem secuta est Petronia, qua peregrini vrbe prohibebantur. Eam ante Papiam latam fuisse Cicero testatur, cum dicit, *Petronius apud patres nostros, Papius nuper*. Papia ^{m)} vero lege iis, qui dolo in tabulas municipiorum irrepsissent, poena irrogabatur. Aliae adhuc videntur de ciuitate fuisse leges, quas Cicero pro Balbo his verbis significat: *Num fundos populos Latinos factos arbitramur aut Seruilia lege, aut caeteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium ciuitatis?*

Postquam rex erat constitutus Romulus, omnem populum in tres partes distribuit, quae vel a tributo dando, vel a numero ternario, vel denique a Graeca voce *τρίτος*, quae apud Athenienses tertiam tribus partem denotabat, Tribus sunt dictae; ⁿ⁾ easque singulas in decem curias diuisit. Quaquam pace cum Sabianis inita, incolarum numerus valde auctus erat; idem tamen tribuum numerus mansit. Prima tribus dicebatur Ramnensium, a Romulo, in quam omnes Romani erant coniecti, secunda Tatiensium a T. Tatiano Sabianorum rege, in qua Sabini omnes, Lucerum tertia appellata fuit, vel a Lucumone Etrusco, qui Romulum in bello aduersus Sabinos gerendo copiis adiuuerat, vel a luco, in quo asylum Romulus aperuerat, in quam Tusci, Latini et reliqui omnes peregrini referebantur. Quemadmodum vero Romulus in hac distributione Cecropem, qui

1) Cic. Balb. c. 8.

m) Cic. pro Arch.

n) Liv. I, 3. Alit. Dion. Hal. II, 47.



qui Athenienses in tribus curiasque diuiserat, est imitatus; ita etiam cuique tribui ^o) tribunum, qui Atheniensium Phylarchis responderet, praeficiendum statuit. Numerus ille tribuum Romanarum vsque ad Tarquinium Priscum, qui eum, retentis tamen iisdem nominibus ^p) duplicauit, incolomis mansit. Seruius vero Tullius, rex Romanorum sextus, vniuersam urbem in quatuor, agrum vero Romanum in quindecim vel septendecim (dissentiunt enim auctores) partes diuisit, quarum quaedam tribus urbanae, quaedam rusticae dicebantur. Urbanae tribus fuerunt ^q) Suburana vel Succufana, Esquilina, Collina et Palatina a certis locis ita denominatae, ^r) in quas initio omnes nobiliores Romani erant coniecti. Qui vero, postquam Fabius Censor illas omni ^s) turba forensi impleuerat, in rusticas tribus sunt relati. Et hac de causa semper apud Romanos probrosum fuit, a Censoribus ex rustica tribu in urbanam transferri. Rusticae tribus vel a locis vel a gentibus denominari solebant. Harum tribuum instituit Seruius praefectos, qui nomina, sexum, aetatem opesque tribulium suorum scire deberent. Postea diuersis temporibus aliae adhuc tribus sunt additae, ita, vt tandem triginta quinque numero essent. Et quanquam post bellum Marficum, ^t) tota Italia ciuitate donata, octo vel decem aliae tribus fuerant adiectae, tamen paullo post eas ad pristinum ^u) numerum fuisse redactas legitur. Curiarum vero numerus nunquam vlli mutationi obnoxius fuit. Et quemadmodum supra vidimus, Curiarum praefectos apud Athenienses *Φατριάρχους* fuisse appellatos; sic Romanorum curias ^x) Curiones praerant, qui imprimis sacra cuique Curiae propria curabant. Qui omnibus vero Curionibus erat praefectus, Curio maximus dicebatur.

Practer

o) Dion. Hal. II. 7.

p) Manut. de comit. Rom. c. 2.

q) Sigon. de ant. iur. ciu. Rom.

r) Panuv. de ciu. Rom. c. 48.

s) Liv. IX, 46.

t) Dion Hal. IV, 14 sqq.

u) Gruch. de comit. Rom. I, 4.

x) Plaut. Aulul. I, II, 29.


Praeter hanc diuisionem in tribus et curiis a Romulo institutam tres ordines populi Romani fecit, senatorium, equestrem et popularem. Primum quidem eos, qui virtute, aetate, genere vel opibus excellebant y), patricios dixit, qui *ἰσπαρτέδαι* apud Athenienses respondisse videntur. Ex his Romulus postquam iusserat, vt z) singulae tribus ternos, qui maxime placuissent, viros eligerent, idemque singulis curiis mandauerat; his nonaginta nouem viris vnum, quem ipse maxime idoneum iudicauerat, adiecit, cui rerum vrbaniarum curam, quoties ipse exercitum extra Romani agri fines ducturus esset, committeret. Qui Centumviri Senatores Patresque honoris a) benevolentiae aetatisque causa sunt b) dicti. Quo facto Romulus ex quaque tribu centum iuuenes genere, opibus, aliisque dotibus ornatissimos atque instructos legit, qui equo mererent, quorumque opera ad custodiam corporis sui vteretur. Distribuit eos in tres centurias, quae Ramnensium, Tatiensium et Lucerum, iisdem nominibus, ac priscae illae tribus, dicebantur. Tarquinius Priscus eorum numerum auxit, ita, vt essent c) mille et octingenti, eodem tamen centuriarum numero retento; Seruius vero Tullius octodecim equitum centurias conscripsit. Quamquam equites et ex patriciis et ex plebe legi poterant, tamen ingenui esse debebant, nisi quod sub d) imperatoribus aliquando libertini hac dignitate sunt donati. Quid? quod in illis non solum octodecim circiter annorum e) aetas, sed, vt apud Solonis Equites, census requirebatur, qui florente republica f) 400 HS. fuisse fertur. Tertius denique ordo fuit popularis, sub quo omnis ii erant comprehensi, qui neque senatores, neque equites, de popu-

K 2

y) Dion. Hal. II, 8.

z) Id. II, 12.

a) *Plut. Romul. Sall. Catil. 6.*b) *Flor. I, 1, 15.*c) *Liv. I, 36.*d) *Suet. Galb. c. 24.*e) *Dio lib. LII.*f) *Martial. V, 26. Iuu. XIV, 323. Horat. Epist. I, 1, 57.*



lo esse dicebantur. Initio reipublicae tam ingens differentia inter Patricios et Plebeios fuit, ut eodem modo, quo Athenienses Patricii, illi soli sacra facere, et sacerdotia ac magistratus gerere possent, neque plebs ius §) connubiorum cum ipsis haberet: sed haec fere omnia sensim sensimque cum plebe sunt communicata: Quemadmodum vero apud Athenienses Inquilinis erat impositum hoc, ut quisque eorum ex ciuibus, quem vellet, sibi patronum eligeret; sic Romulus eo consilio ductus, ut patricios cum plebeiis quodammodo consociaret, instituit, ut h) quisque homo plebeius, quem vellet, ex Patriciis *προστάρην* sibi deligeret. Quod vero Patroni Atheniensis munus, idem Romani fuisse videtur. Huic enim h) cura ea et provincia demandata erat, ut clienti de iure responderet, lites pro eo susciperet, uno verbo, eius causa faceret, quicquid parentes librorum causa vulgo facere solent. Maiora vero commoda ex hac Clientela in Patronos Romanos, quam in Athenienses redundasse videntur. Patroni enim plebis Romanae, clientum, si intestati decessissent, legitimi heredes, et quia plerumque ubi successione est emolumentum, ibi et tutelae onus esse debet, ideo quoque legitimi liberorum eorum tutores erant. Ius hoc erat hereditarium, et sanctum adeo, ut clientes hospitibus et cognatis h) praeserrentur. Ex hoc potentiorum patrocinio manavit subsequenter temporibus alterum, quando vicani in fraudem tributi publici in potentiorum patrocinium se dabant, quod vero Imperatorum i) sanctionibus vetitum est.

Hic vero alia diuisio ciuium Romanorum a Seruio Tulio constituta non praetermittenda mihi videtur. Hic quidem sapientissimo consilio ductus iussit, ut omnes ciues, siue intra siue extra urbem habitantes

g) Liv. IV, 2.

h) Dion. Hal. II, 9.

i) *Plur.* Romul.

k) *Cell.* V, 13. XX, 1.

l) *Cod. Theod.* De patroc. vic. cuius tit. L. VI. est *Imperatt. Honor.* et *Theod. A. A. ad Aurelian. P. Orient.*

bitantes bona ^{m)} sua iurati aestimarent, eaque, nec non numerum, nomina et aetatem vxorum, liberorum, seruorum et libertorum, et domicilii ⁿ⁾ locum indicarent. Quemadmodum igitur Solon pro ratione facultatum Athenienses in quatuor classes distribuere; ita Seruius ciues Romanos omnes ^{o)} in sex classes diuisit, quarum prima ditissimos, qui centum millium aeris aut maiorem censum habebant, altera ditiores, qui 75000 aeris, tertia diuites, qui 50000 aeris, quarta mediocres, qui 25000 aeris, quinta modicos, qui 11000 aeris, sexta denique proletarios, qui minorem illo censum habebant, comprehendebant. Harum classium primam idem in octoginta centurias, quibus secundum Lium duas savorum additae sunt, secundam in viginti, tertiam in viginti, quartam in viginti, quintam in triginta distribuit. Ex reliqua multitudine vna centuria est facta, militia immunis. Quamquam vero tot ditissimorum centuriae, mediocrium pauciores fuerunt; tamen compertum habemus, ditiorum centurias tam paruo ciuium numero constitisse, vt vltima centuria, qua Proletarii comprehendebantur, omnibus aliis simul sumtis forte maior esset. Hoc modo in ferendis suffragiis omnem fere potestatem penes ditiores fuisse, negare quidem non audemus. Sed tamen hoc inique non ferebant pauperes, cum diuites simul omnia fere tributorum et militiae onera sustinerent, et, cum praeterea pauperes virum in suis quisque centuriis sententias rogarentur, omnes se pari iure rempublicam administrare ^{p)} arbitrabantur. Haec vero reipublicae apud Romanos constitutio, quamdiu ipsa respublica salua, hoc est, libera fuit, est seruata.

Restat, vt adhuc de seruis Romanis pauca addamus, quorum fortem interdum miseriam fuisse, nemo erit, quin putet. Quis enim est, qui ignoret, Vedium Pollionem muraenas sanguine humano saginasse, et seruos saepe in viuarium obici iussisse? Et in Catone


K 3. adeo

m) Dion. Hal. IV, 15.

n) l. 4. D. de Censib.

o) Liv. I, 43.

p) Dion. Hal. IV, 19.



adeo humanitas in seruos est desiderata. Hos enim, vbi consensissent, venundandos putabat, neque alendos inuitiles. Quod quidem quid aliud erat, quam seruis, sicut iumentis, abuti, atque exillimare, nullam homini cum homine nisi quaestus causa intercedere societatem? Crudelissima sane Romani cum seruis suis agebant in quaestionibus, vbi hi tormentis verum, fateri cogebantur. Quamquam vero accusator seruos rei in quaestionem postulare et ad elicendam veritatem tormentis eos dilacerari iubere poterat; tamen q) de seruis in dominum nonnisi de incestu et coniuratione tormentis quaeri licebat. Cum vero apud Romanos non magis quam apud Graecos de liberis hominibus quaestio haberetur; qui aliquid supplicio dignum commiserant, seruos, si quos eius culpa participes aut conscios habebant, statim liberare solebant. Seruitute liberabantur serui per manumissionem, quae erat vel iusta, cum iustam libertatem et plenum ius ciuitatis Romanae consequerentur, vel minus iusta, cum ex lege Iunia Norbana fiebant Latini Iuniani, quibus inferiores erant, qui ex lege Aelia Sentia fiebant liberti dediti, et nunquam ad ciuitatem Romanam peruenire poterant. Iusta manumissio fiebat vel per r) censum, vel per s) vindictam, vel denique per testamentum; Minus iusta vero inter amicos vel per epistolam. Quae omnia cum nimis nota et trita sint, interpretatione egere non videntur. Qui ciuitatem Romanam erant consecuti serui, eorum, quorum beneficio auxilioque in ciuitatem venerant t), praenomen nomenque assumere solebant. Hinc Sullae temporibus tanta Corneliorum multitudo fuit, cum plurimos ipse ciuitate donasset. Liberti ac Libertae apud patronos varia munia obibant, quod ex omni antiquitate satis notum. Quemadmodum vero Athenienses aduersus ingratos Libertos actione ἀποστρέφω uti solebant; sic Patronis Romanis Libertum vitra vicissimum lapidem u) relegare erat concessum. Id quod ab Augusto constitutum fuisse suspicatur

q) Cic. pro Dejot. et in Partit.

r) Cic. pro Caec. c. 34.

s) Liv. II, 5. Perf. Sat. V, 75. Hor. Serm. II, 7, 75.

t) Cic. ep. ad div. XIII, 35 sqq.

u) Tacit. Annal. XIII.

spicatur Lipsius. Commodus vero Imperator, referente x) Modestino, postea constituit, ut liberti, qui patronos contumeliis violassent, aut illata manu pulsassent, ad obsequia praestanda cogerentur; quod si nihil profecisset, a Praefide alteri in seruitutem, pretio Patronis addicto, vendebantur. Alias libertorum ingratorum poenas refert Vlpianus Libro nono de Officio proconsulis, ubi ita scripsit: Sed si quidem inofficiosus patrono, patronae liberisue eorum sit libertus, tantummodo castigari eum sub comminatione aliqua severitatis non defuturae, si rursus causam querelae praebuerit, et demitti oportet. Enim vero si contumeliam fecit, aut conuicium eis dixit, etiam in exilium temporale dari debet. Quodsi manus intulit, in metallum dandus erit. Idem, et si calumniam aliquam eis instruxit, vel delatorem subornauit, dummodo de Patroni statu ei quaestionem non faceret, vel quam causam aduersus eos tentauit. Subsecutis vero temporibus ex y) Constitutione Imperatorum Diocletiani et Maximiniani liberti ingrati in seruitutem redigi poterant.

x) Lib. sing. de manumiss.

y) Leg. XII. Cod. de oper. Libert.



COROLLARIA.

*Populo Ius vitae et necis in Principem pro qualitate delicti non est
deneganda.*

Omnis virtus praesupponit occasionem ad vitia perpetranda.

*Ius civibus e Republica emigrandi competit, nisi rationes Iuris Pu-
blici Specialis hoc prohibent.*





Leipzig, Diss., 1785 P-Z

X 241 7854


VD 18

ULB Halle

3

006 363 629





21
COMPA
LEGVM ROMANA
INS
COMM

P. 7

AMPLISSIMI PH
AVC
A. D. XXV. MEN
PVBLIC
M. BALTHAS.
IVRIS VTRI

GOTTHELE C
LEG
EX OFFICIN



78529

VE
RVM

INIS

HELL

ENZ

KONFRIED
UNIVERS
ZV BALLE